DISSERTATIO THEOLOGICA.

DISSERTATIO THEOLOGICA,

QUA

SENTENTIAM VULGO RECEPTAM,
ESSE SACRÆ SCRIPTURÆ MULTIPLICEM INTERDUM
SENSUM LITTERALEM,

NULLO FUNDAMENTO SATIS FIRMO NITI

DEMONSTRARE CONATUR

JOANNES THEODORUS BEELEN,

CAN. HON. ECCL. CATHEDR. LEOD., S. TH. DOCT. IN UNIV. CATH. LOVAN. S. SCRIPT.
ET LINGG. ORIENTALL. PROF. ORD.

In dubiis libertas.
S. Aug.

LOVANII,
TYPIS VANLINTHOUT ET VANDENZANDE,
UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHORUM.

1845.

Opusculum quod inscribitur : *Dissertatio Theologica, quâ sententiam vulgo receptam, esse Sacræ Scripturæ multiplicem interdum sensum litteralem, nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur Joannes Theodorus Beelen, Can. hon. eccl. cathedr. Leod., S. Theol. Doct., in Univ. Cath. Lovan. S. Script. et lingg. orientall. Prof. ord.*, ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum academicarum præscripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, Cal. Jun. 1845.

P. F. X. DE RAM, *Rect. Univ.*

PRÆFATIO.

Ut difficile est in re theologicâ de sententiâ vulgo receptâ decedere, ita e contrario facile incidit suspicio novis doctrinis studere eum, qui istiusmodi aliquam sententiam impugnare voluerit. Quare, ne hæc cujusquam animo de me incidat suspicio, candide hic profiteor me fuisse ad tractandam præsentem quæstionem adductum sincero exquirendæ veritatis amore, minime vero insanâ quâdam nova docendi cupiditate. Itaque non recusabo obtemperare monitoribus, qui me in errore versari demonstraverint. Demonstrandi autem erroris omnino duplex via patet; nam aut efficiendum est me injuriâ negasse vim

probandi inesse argumentis quæ afferuntur ad stabiliendam sententiam, quam impugnandam suscepi; aut alia proponenda sunt argumenta, quibus hæc sententia firmiter probetur.

Atque hæc erant, nec plura, quæ in limine hujus opusculi habebam præfanda.

Scribebam Lovanii Cal. Jun. MDCCCXLV.

PROOEMIUM.

Unius ejusdemque S. Scripturæ loci plures interdum esse sensus, quos vocant, *litterales*, Theologi docuere fere omnes, qui a tribus inde sæculis de Biblicâ hermeneuticâ vel obiter vel deditâ operâ disputarunt. Quorum rationes illud affirmandi quum legissem, tantum abfuit ut suam sententiam mihi persuaderent, ut contra, qui jam antea dubitabam vera-ne ea esset, nunc dubitarem multo vehementius; adeo ad probandum infirma eorum mihi videbantur argumenta. Quæ tamen, utpote a viris non infimi subsellii prolata, cum facile fieri posset ut essent firmiora, quam primâ specie mihi visa fuerant, ne temere hic et imprudentius a communi Theologorum sententiâ recederem, quid tandem ponderis haberent, quam diligentissime et studiosissime denuo expendi. Istius autem inquisitionis exitus is fuit, ut nunc mihi certissimum sit, non esse ullo sat firmo argumento hactenus probatum, unius ejusdemque Scripturæ loci *litterales sensus plures quam unum* alicubi esse agnoscendos.

Atque hanc sententiam me præsenti dissertatione æquis judicibus persuasurum spero, imo vero, ingenue fatebor, etiam confido.

Quæstionem quam in controversiam vocamus minime otiosam esse, facile quisque intelligit; agitur enim de eo, utrum

affirmandum an negandum sit, verbum Dei scriptum multiplicem passim habere litteralem intellectum; atqui id ambiguum habere neutiquam decet sacrum interpretem, quum ex alterâ sententiâ lex interpretandi consequatur gravissima. Nam si verum sit, quod communis fert sententia, unius ejusdemque sacri contextus verba diversos interdum litterales habere intellectus, quos S. Spiritus exprimere voluisset omnes, profecto religiosi erit interpretis ad hoc perpetuo mentem advertere, et sicubi multiplex is sensus latere videatur, eumdem ex abdito eruere et in lucem proferre; neque enim integrum ipsi erit hanc divini verbi negligere fœcunditatem. Ab hâc vero lege erit solutus, quando satis ipsi constiterit multiplicem illum sensum litteralem, licet communi Theologorum probatum consensu, nullo tamen sat certo confirmatum esse argumento. Atque ita se rem habere, in præsenti dissertatione probare conabor.

Hunc autem in re tractandâ ordinem sequar, ut in *priori Parte* (nam bipartita dissertatio est), post expositum statum quæstionis (Cap. I), breviter scripturus sim historiam præsentis controversiæ (Cap. 2); deinde afferentur argumenta quibus hactenus probare voluerunt sententiam, quam oppugnamus (Cap. 3); quæ argumenta quum ad quatuor classes revocari possint, eorum recensionem in totidem *Sectiones* distribuemus; et quidem, ordinem secuti quem adversarii nostri hic fere sequi amant, primo loco exponemus argumenta ducta ex sanctorum Patrum doctrinâ (Sect. 1); exhibentur postea sacræ Scripturæ loca, quæ, judicibus adversariis, totidem exempla sint, ex quibus ipsorum sententia vehementer confirmetur (Sect. 2); deinde explicabitur quid præsidii illi sententiæ quæsitum sit ex formulâ fidei editâ in Concilio Lateranensi (Sect. 3); tandem adducentur Theologi Scholastici, quos in hac quæstione a suis partibus stetisse affirmant adversarii (Sect. 4).

In *alterâ* vero dissertationis *Parte* singula illa argumenta expendentur eodem ordine, quo prius fuere recensita.

PARS PRIOR.

CAPUT I.

EXPONITUR STATUS QUÆSTIONIS.

Sensum alicujus scripti vocamus eum animi conceptum, quem auctor, sive proprie sive figurate locutus sit, verbis suis exprimere et in legentis animo excitare voluit.

Atqui in confesso est, Spiritum Sanctum, Sacræ Scripturæ auctorem, non tantum proxime per verba, sed passim etiam per ipsàs res aut personas verbis significatas, ad homines esse locutum ; ergo Scripturæ sensum definimus eum divinæ mentis conceptum, quem Spiritus Sanctus per verba sua sive propria sive figurata, et passim etiam per ipsas res aut personas iis verbis significatas, exprimere et in animis hominum excitare voluit. Quâ definitione, ut patet, comprehendimus utrumque Sacræ Scripturæ sensum, litteralem, quem vocant, et mysticum.

Itaque litteralem Sacræ Scripturæ sensum vocamus eum divinæ mentis conceptum, quem Spiritus Sanctus, Sacræ Scripturæ auctor, sive proprie sive figuràte locutus sit, verbis suis exprimere et in animis hominum excitare voluit.

Jam vero Theologi plerique, qui inde a tribus sæculis hanc rem tractârunt, diserte docent eum, quem mox definiebamus, litteralem sensum, non semper tantum unicum esse, sed interdum duplicem aut etiam multiplicem ; adeoque volunt ex uno eodemque sacri contextûs loco, per eadem verba, non semper tantum unum quid, sed interdum duo aut plura eaque diversa esse intelligenda. Sic, ut hoc exemplo utar, verba illa Psalmi secundi : *Dominus dixit ad me : filius meus es tu, ego hodie genui te*, secundum nativum sensum verborum dicta esse docent tam de ortu Christi æterno quam de eo quo ex B. Virgine nasci voluit, tum etiam de Christi devictâ morte reditu ad vitam, adeoque sensu tripliciter litterali.

Nos vero contendimus multiplicem eum, quem illi defendunt sensum litteralem, nullo sat firmo niti fundamento.

Patet jam, ni fallor, de quâ re in præsenti dissertatione controversia statuatur; quæ tamen, ut distinctius cognoscatur, liceat etiam dicere paucis, de quâ re hìc *non* statuatur controversia.

Scilicet non hoc disputatur, an unus idemque Sacræ Scripturæ locus, præter sensum litteralem, passim habeat etiam sensum, ut vocant, mysticum, qualem supra descripsimus (1).

Neque hoc quæritur, an passim verbis unius ejusdemque sacri contextûs duplex subjecta sit notio, una propria, altera figurata, sicut fit ubicumque sermo μεταφορικός est; ibi, si placet, poteris distinguere sensum *litteræ* a sensu *litterali*.

Porro neque de hoc agitur, utrum in nonnullis vaticiniis obscurioribus sit agnoscendus duplex sensus litteralis, scilicet unus *subjectivus*, quem vocant, puta eum qui menti prophetæ obversatus esset, et alter *objectivus*, nempe is ad quem Deus revelans animum intendebat. Nam quidquid sit de illo discrimine, manifestum est in præsenti controversiâ non quæri, quo sensu Spiritus Sancti effata de futuris obscuriora prophetæ, qui ea scripto mandarunt, ipsi intellexerint, sed quid Spiritus Sanctus suis verbis exprimere voluerit.

Tandem neque hoc in controversiam vocatur, utrum omnino *possit* aliquis Sacræ Scripturæ locus hic illic in duas pluresve sensus litterales accipi, verum an alicubi *certò debeat;* nam hoc contendunt illi quibuscum nobis res est.

(1) Itaque ea S. Scripturæ loca, qualia sunt Jo. XIX. 36. *Os non comminuetis ex eo* (coll. Num. IX. 12), vel Hebr. I. 5. *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium* (coll. 2 Reg. VII. 14), vel Matth. II. 15. *Ex Ægypto vocavi filium meum* (coll. Hoseæ. XI. 1.), vel similia, quæ a nonnullis afferuntur ad tuendam sententiam nostræ oppositam, hæc, inquam, loca præsentem quæstionem ne tangunt quidem. Quare ea nec recensuimus inter argumenta quæ ad causam suam probandam e Scripturis adducunt. Quod dicit Scriptura: *Os non comminuetis ex eo*, secundum nativam verborum significationem dictum est de agno paschali, de quo et contexta ibi agit oratio; idem vero dictum erat typico-prophetice de Christo, in eoque *ad litteram* impletum est. Sed aliud est *litteraliter dici* de aliquo, aliud *litteraliter impleri* in aliquo.

CAPUT II.

HISTORIA CONTROVERSIÆ.

Tribus abhinc sæculis, ut jam supra notavimus, præsens quæstio agitari cœpit. Primus autem qui eam plenius et fusius tractavit, Alphonsus Salmeron extitit, Theologus e Societate Jesu; strenue defendebat vir doctissimus, eorumdum Sacræ Scripturæ verborum sensus plures litterales interdum esse agnoscendos. *Vides ergo*, inquit, *unam et eamdem sententiam* (1), *Pauli Apostoli testimonio*, *tres sensus admittere*, *et illos quidem longe diversos, et non mysticos sed litterales. Nam argumentatur Apostolus non ex rebus per voces significatis, sed ex nudis verbis ipsius litteræ* (2). Fatetur tamen Salmeron non omnes ipsi consensisse: *in controversiâ positum est*, ait, *an una et eadem numero littera plures sensus litterales habere queat. Existimant nonnulli sensuum multitudinem non posse consurgere nisi ex æquivocatione et ambiguitate vocum*, *quod absurdum esse arbitrantur* (3). Itaque Salmeronis adversarii vel ideò illi contradicebant, quia æstimabant non posse recipi ipsius sententiam, quin simul agnoscerentur in verbo Dei scripto æquivocatio et ambiguitas, quod absurdum esse arbitrabantur (4). Illi autem adversarii quinam fuerint, et utrum editis libris innotuerint, neque Salmeron refert, neque nos comperire potuimus; Michaelem Medinam inter hos recenseri non posse, mox probaturi sumus.

(1) Locutus fuerat Salmeron paulo prius de verbis Psalmi II. v. 6: *Filius meus es tu*, *ego hodie genui te*, quæ in multiplicem sensum litteralem a sancto Paulo (in Ep. ad Hebr. cap. I. v. 5. et cap. V. v. 5., tum Act. Ap. cap. XIII. v. 33.) accepta fuisse sibi persuadebat.

(2) Vid. Alfonsi Salmeronis Toletani S.J. Commentar. in Evangelic. hist. et in Act. Ap. Colon. Agrip. 1602. Tom. I. Proleg. VIII. pag. 81. col. 1.

(3) Ibid. pag. 79. col. 2.

(4) Ob eamdem rationem etiam Theologi medii ævi negarunt sensum litteralem multiplicem in Scripturis esse agnoscendum. (Cf. quæ scripsimus infra, Part. 2. Sect. 4); sed inter hos Theologos de præsenti quæstione nulla umquam fuit disceptatio; quare nec eorum mentionem facimus hic, ubi *controversiæ* historia texitur.

Plures interdum esse sensus litterales, ante Salmeronem jam docuerant, licet breviter tantum ac veluti in transcursu, Melchior Canus (1), et Joanues Driedo (2), sacræ Theologiæ Professor quondam Lovaniensis. Sed, qui eodem fere tempore Lovanii docuit, Adamus Sasbout (3), Hesselii discipulus, etsi deditâ operâ agat de interpretatione Sacræ Scripturæ, attamen de sensu litterali multiplici ne verbulum quidem habet. Quod sane arguere videtur virum doctissimum in eâ fuisse sententiâ, ut crederet multiplicem illum sensum litteralem in Scripturis minime esse agnoscendum. Quod autem de Adamo nostro retulimus, idem hoc dicendum est et de Sixto Senensi (4), illius coætaneo.

Salmeronis temporibus floruit Michael Medina. Hunc patroni multiplicis sensûs litteralis passim citant tamquam suæ sententiæ contrarium (5). Sed falluntur; nam de eo, quem ipsi tuentur, multiplici sensu non loquitur Medina; tantum agit contra eos, qui quum falso putarent ex sensu mystico firmum in re dogmaticâ duci non posse argumentum, multiplicem in Scripturâ esse sensum litteralem docebant ita, ut dicerent, teste Medinâ, *eumdem locum litteraliter de eo, de quo in veteri illâ historiâ profertur, et litteraliter etiam de novi nostri evangelici statûs rebus aut personis usurpari* (6). Hi igitur, qui

(1) De locis Theologicis, Lib. 2. Cap.XI., in *responso ad rationes septimi argumenti.*

(2) Jo. Driedonis de ecclesiasticis Scripturis et dogmatibus libri quatuor. Lovanii 1556. Lib. 2. cap. 2. p. 49. fol. recto.

(3) Adami Sasbout, divinarum Scripturarum apud Lovanienses professoris opera omnia. Colon. Agripp. 1575. In dissertatione *de Scripturarum sensibus*, præmissâ ejus commentario in Isaiam.

(4) Bibliotheca sancta a Sixto Senensi, ordinis Prædicatorum, collecta etc. Lugduni 1591. Lib. 3. pag. 133—38.

(5) Michaelem Medinam (*De rectâ in Deum fide*, L. VI. c. 25. p. 222.) inter oppugnatores multiplicis sensus litteralis citat etiam R.P. Patritius paginâ quadragesimâ egregii libri nuper a se editi, quem inscripsit: *Francisci Xaverii Patritii e Societate Jesu de interpretatione Scripturarum Sacrarum. Romæ* 1844. — Videtur Patritius in errorem inductus esse a Vasquezio (*in S. Thom.* 1. *q.* 1. *Disp. XVII. c. I.*). Quæ affert verba Patritius (*cit. op.* Cap. 3. Art. 2. §. *III.* 68.) ut verba Medinæ, ea nuspiam in Medina leguntur; nimirum verba sunt Vasquezii.

(6) *De rectâ in Deum fide. Lib. VII, auctore Michaele Medina Hispano*

vulgo a Theologis mysticus vocatur sensus, volebant pariter esse litteralem, et hâc ratione multiplicem in Scripturis esse sensum litteralem Medina plane negabat; sed, ut diximus, de eo litterali sensu multiplici, de quo nos hic agimus, Medina omnino non loquitur. Quod ut manifesto constet, juvat ipsum Medinam inducere loquentem. Scilicet versatur in defendendâ canonicâ auctoritate Epistolæ ad Hebræos; objectum autem erat, auctorem ejus epistolæ (capite primo, quinto versiculo) non firmiter probare Christum esse filium Dei, ex verbis: *ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium* (1), quum ea verba, ita objiciebant adversarii, non de Christo sed de Salomone Davidis filio necessariò essent intelligenda. Ad quod Medina ita respondet: *Scio*, inquit, *communiorem esse theologorum sententiam, duplicem, triplicem et interdum quadruplicem dari literalem intellectum ita, ut idem locus literaliter de eo, de quo in veteri illâ historiâ profertur, et literaliter etiam de novi nostri evangelici statûs rebus aut personis usurpetur. Unde hunc locum ad Salomonem et ad Christum simul in sensu literali pertinere contendunt, atque adeo nullam esse calumniam, quæ huic epistolæ infertur. Quamquam enim verum sit, locum illum de Salomone in sensu literali accipi, nihil tamen prohibere arbitrantur, quin idem de Christo quoque accipi possit. Quæ sententia profecto, quamvis sanctissimos ac doctissimos viros auctores habeat, mihi omnino persuaderi non potest. Primo quidem, quod eam ab inani quodam timore prodendi Evangelium derivatam non dubitem: dum enim non satis magnis rationibus sibi persuaserunt, a solo literali aut historico sensu efficax* (2) *argumentum necti, cum viderent bonam evangelicæ œconomiæ partem in iis locis a sanctis auctoribus collocari, quæ illic, unde proferuntur, suos quoque historicos sensus apertos habeant, protinus ad multiplicem hunc literalem intellectum vel inviti confugiunt* (3). Hactenus Medina; qui deinde docet verba objecta: *ego ero illi*

in synodo Tridentinâ Theologo Regio, Venetiis. 1564.—Vid. Lib. VI. c. 25. p. 222-23.

(1) 2 Reg. VII. 14., et 1 Paralip. XXII. 10.

(2) In Medinæ operis editione, quâ utor, legitur hic *inefficax*, quod quin mendum typographicum sit dubitare non sinit contexta oratio.

(3) Loc. cit.

in patrem, etc., non sensu litterali, sed mystico sive typico de Christo esse dicta, eoque sensu ab Apostolo adducta. Patet jam, ni fallor, Medinam neutiquam agere de eo litterali sensu multiplici, quem in præsenti dissertatione in controversiam adducimus.

Paulo post Medinæ mortem scriptis suis exegeticis inclarescere cœpit Franciscus Ribera. Etiam hic notatur a Serario (1) tamquam is, qui minimè favisset sententiæ quam oppugnamus. Verum fallitur Serarius (2). Scilicet, in loco a Serario citato (3) Ribera quærit : *utrum fieri possit, ut eadem verba propriè significent aliquam rem gestam, quæ figura sit alterius rei in Novo Testamento gerendæ, et simul significent rem eamdem gerendam; ut, an illa verba :* Os non comminuetis ex eo, *simul significent, literaliter et allegorice, eamdem rem Novi Testamenti, nempe Christo non fuisse ossa confringenda in passione.* Respondet Ribera : verba hæc, *os non comminuetis ex eo*, secundum sensum litteralem sive historicum dicta esse de agno paschali, sed secundum sensum allegoricum (typicum, mysticum) ad Christum esse referenda.

Deinde pergit Ribera : *sed hoc quærimus : an illud idem quod significant allegorice, possint significare historice?* hoc est : an citata verba, *os non comminuetis ex eo*, quæ secundum sensum litteralem significant rem in vetere Testamento gestam, quæ figura erat seu typus alterius rei in Novo Testamento gerendæ, simul secundum sensum litteralem significare possint hanc rem gerendam? Ad hoc quid Ribera? *Respondeo*, ait, *id fieri non posse; quia sicut eadem res non potest umbra corporis esse et corpus ipsum, nec figura et veritas ejusdem figuræ; ita eadem verba non possunt litterali sensu significare figuram et umbram, atque veritatem ejusdem figuræ corpusque ejusdem umbræ!* (4). Itaque, quod Medinam fecisse supra vidimus, idem hoc præstat Ribera ; agit scilicet contra eos qui illum, quem vulgo Theologi vocant sensum *Allegoricum* (typicum, mysti-

(1) Proleg. Bibl. Cap. XXI. q. 12.

(2) Fallitur etiam R. P. Patritius, qui idem asserit, cit. op. p. 40.

(3) In Hoseæ cap. XI. a nº 3—13.

(4) Loc. cit. nº 11.

cum), volebant esse pariter *litteralem*, et hac ratione multiplicem in Scripturis esse sensum litteralem ibi negat Ribera. Ergo de illo litterali sensu multiplici, de quo nostra instituta est disputatio, omnino non agit Ribera; imo hunc ab eo fuisse agnitum certo constat; nam in suo commentario in epistolam ad Hebræos (ad Cap. XI, v. 21) diserte affirmat verba Genesis (Cap. 47, v. 31) :וַיִּשְׁתַּחוּ יִשְׂרָאֵל עַל רֹאשׁ הַמִּטָּה duplicem habere sensum litteralem : *unum*, ait, *quem expressit Hieronymus, et alterum, quem LXX et interpres* (1) *Pauli reddiderunt* (2).

Sub finem sæculi XVI litteralem sensum multiplicem defendit Vasquezius. *Existimo*, inquit, *sub eâdem litterâ plures sensus litterales aliquando contineri, quoties nimirum probabile est, scriptorem sacrum omnes intellexisse, et contextui scripturæ suæ recte conveniunt : talis itaque debet esse rerum convenientia inter se et cum ipsis vocibus, ut unum et alium significare eidem litteræ et contextui dissonum non sit. Hoc pacto censerem in illo loco Isaiæ* : Generationem ejus quis enarrabit, *duos sensus litterales contineri, et generationis æternæ et temporalis; utraque enim admirabilis est, ac proinde quoad hoc unam et eamdem subire videtur rationem, ut admirans Propheta dixerit* : generationem ejus quis enarrabit? *Optime autem uterque sensus contextui convenit* (3). Idem porro notat : *non debemus*, inquit, *ita concedere plures sensus sub eâdem litterâ, ut inter se aliquâ ratione non conveniant, sed itâ ut quasi unam videantur subire rationem* (4).

Serarius vero, qui ineunte sæculo XVII multiplicis sensûs litteralis causam tuebatur, negat necesse esse ut, qui plures sensus litterales recipiantur, analogiâ quâdam ac similitudine

(1) Dicit Ribera : *interpres* Pauli, quia defendit epistolam ad Hebræos Hebraice ab Apostolo fuisse conscriptam, deinde vero Græce ab alio redditam. Vide Riberæ proœm. commentar. in Ep. ad Hebr. pag. 41.

(2) Vide Fr. Riberæ Presbyteri Soc. Jesu in Epist. ad Hebræos commentar. Coloniæ Agripp. 1594; pag. 557.

(3) Commentariorum ac disputationum in primam partem S. Thomæ, auctore Gabriele Vasquez, Soc. Jesu, tom. I. Disputat. XVII. Cap. 3.

(4) Ibid. Disputat. XVIII. Cap. 6.

inter se cohæreant, quod Vasquezius volebat; et secum sentire plures et graviores auctores Serarius affirmat (1).

Sed ut Salmeronis temporibus, ita nec Serarii ætate omnino defuerunt qui sententiæ vulgo receptæ palam contradicerent. Inter hos fuit Serarii coætaneus, Guilielmus Estius, Doctor Lovaniensis celeberrimus. Felicissimus hic Sacræ Scripturæ interpres, *merito*, inquit, *negant viri doctissimi eamdem Scripturam habere plures sensus litterales* (2). Agebat Estius de varietate interpretationis verborum Genesis (cap. 47.) : וישתחו ישראל על ראש המטה, quæ verba in Vulgatâ redduntur ita: *adoravit Israel Deum conversus ad lectuli caput;* in Græcâ autem Sacræ Scripturæ versione, quam *septuagintaviralem* vocant, et in epistolâ ad Hebræos (cap. XI, 21), pro *lectuli caput* redditum est τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου, h. e. *fastigium virgæ*. Ergo quærit Estius, utra sit vera Hebraicæ Scripturæ translatio; et mox inducit Riberam existimantem, veram esse utramque, *ac Spiritus Sancti consilio factum, ut duo sensus in eâdem oratione latentes exprimerentur, juxta ejusdem vocabuli diversam significationem* (3). Tum Estius, *quæ responsio*, inquit, *si non placet, propterea quod absurdum habeatur in omni genere scriptionis, ut vocabulum æquivoce duo significans simul stet pro utroque significato, meritoque negent viri doctissimi eamdem scripturam habere plures sensus litterales, restat alter modus respondendi, ut dicamus* etc. (4). Estium minime concessisse in Riberæ sententiam, id etiam aliunde nobis constat, scilicet ex decimâ nonâ inter Orationes ejus Theologicas (5), in quâ, deditâ operâ, inquirit *an sint ejusdem scripturæ plures sensus litterales.*

Cum Estio sensit ejus coætaneus Hieronymus Pradus, vir

(1) Nicolai Serarii e Soc. Jesu Prolegom. Bibliac. etc., Moguntiaci 1612. Cap. XXI. quæst. 12. pag. 149.

(2) In omnes D. Pauli epist. commentar. in Ep. ad Hebr. cap. XI. 21.

(3) Apud Estium, loc. laud.

(4) Ibid.

(5) Guilielmi Estii S. Th. Doct. et Prof. Orationes Theologicæ. Lovanii 1760.

doctissimus. *Numquam*, inquit, *mihi potui persuadere in eodem Sacræ Scripturæ loco multos esse litterales sensus non sibi subordinatos* (1). *Quod si aliquando multi proferuntur ab ejus tractatoribus, hoc non ex vocum meritis, sed ex nostrâ ignoratione profectum esse existimo; qui dum germanum et unicum nescimus, in varios et diversos abducimur.* Hactenus Hieron. Pradus. Vid. ejus Comment. Isagogic. in Ezech. Vaticin. Sect. IX.

Estii tamen aut Hieronymi Pradi auctoritas non effecit ut hâc in re a communi sententiâ recederetur. Mihi certè inter Theologos qui inde ab initio sæculi XVII, quando e vitâ excessit Estius, usque ad finem XVIII floruerunt, nemo occurrit, qui in præsenti quæstione cum Prado et Estio sentiret; assertores autem multiplicis sensûs litteralis inveni quamplurimos. Satis erit recensuisse sequentes : Fabianum Justinianum (2), Cornelium a Lapide (3), Card. Bellarminum (4), Franciscum Sylvium (5), Bonfrerium (6), Arriagam (7), Greg. de Valentia (8), Fulgentium Bottens (9), Josephum Mariam de Turre (10),

(1) Scripturæ loca, qualia sunt : *Os non confringetis ex eo* (Exod. 12. et Jo. 19), *Ex Ægypto vocavi filium meum* (Hoseæ 11. et Matth. 2), et his similia, vulgo dicimus sensum habere litteralem et typicum; Pradus vero eum, qui vulgo typicus vocatur, pariter litteralem esse dicit, sed *pendentem ab altero litterali sensu*, hoc est, ab eo qui proprie et vulgo litteralis dicitur. (Vid. Pradi commentar. Isagog. in Ezech. sect. VIII.) Atque ita in ejusmodi Sacræ Scripturæ locis, qualia mox citabamus, plures uno agnoscit sensus litterales, quos vocat *sensus litterales sibi subordinatos*. Itaque Serarius, qui (cit. loc.) Pradum recenset inter patronos multiplicis sensus litteralis, Pradi mentem minime est assecutus. Quem suæ sententiæ defensorem putat, oppugnatorem habet. —

(2) De Sacrâ Scripturâ ejusque usu, auctore Fab.Justiniano, Romæ 1614. p. 41.

(3) Canon. in Pentateuch. Can. 37.

(4) De Verbo Dei, Lib. 3. Cap. 3.

(5) Francisci Sylvii commentar. in 1. p. s. D. Thom. quæst. 1. artic. 10.

(6) Bonfrerii præloquia in Script. S., Cap. XX. sect. 5.

(7) Disputationes Theologicæ in 1 p. D. Thomæ, auctore Roderico de Arriaga. Disput. 1. sect. 6. subsectio tertia.

(8) Gregorii de Valentia commentar. Theologic. T. 1. q. 1. punct. 5.

(9) OEconomia Sacra, per F. Fulgentium Bottens. Gandavi 1691. T. 2. Part. 3. Disp. 5. art. 6.

(10) Institutiones ad Verbi Dei scripti intelligentiam, auct. Fr. de Turre Januens. O. P. Parmæ 1711. Tractat. III. q. 3. art. 7.

Henricum de Bukentop (1), Bannesium (2), Didacum a S. Antonio (3), Benedictum Plazzam (4), Gonetum (5), Jo. Wiggers (6), Frassenium (7), Carolum Billuart (8), Leonh. Coqueum (9), Hermannum Goldhagen (10), Auctorem libri Gallice exarati qui inscribitur : *Principes discutés* (11), Petrum Dens (12), Thomam ex Charmes (13), Andream Pauly (14), Laurentium Veith (15), Fratrem Archangelum a Præsentatione (16), Jo. Nep. Schaefer (17), etc. etc. Hi tamen, quod observandum

(1) Henrici de Bukentop. Tract. de sensibus S. Script. Cap. IV. n. 13 et seqq.

(2) Scholastica commentaria in 1 p. angelici Doctoris auctore F. Dominico Bannesio. (in q. 1. art. X.).

(3) Enchirid. Scriptur. Tom. 1. prælud. 5. Dissert. 2.

(4) Benedicti Plazza Syracusani S. J. Dissertatio biblico-physica de litterali proprio Sacræ Scripturæ sensu. Tyrnaviæ. 1749. P. 1. p. 8.

(5) Jo. B. Goneti Clypeus Theolog. Thomisticæ. T. 1. Disput. procem. Art. IX.

(6) Jo. Wiggers in 1 p. summæ D. Thomæ. in q. 1. art. 10.

(7) Disquisitiones Biblicæ quatuor libris comprehensæ. Lutetiæ Parisior. 1682. Lib. 3. cap. 4.

(8) Cursus Theologiæ juxta mentem D. Thomæ, operâ et studio F. Caroli Renati Billuart. Tractat. de regulis fidei. Dissertat. 1. artic. VIII.

(9) S. Augustini de civit. Dei Lib. XXII; accedunt commentarii Jo. Lud. Vivis Hisp. ac Leonh. Coquei Aurelianensis. Francof. 1661; in notis ad Lib. XI. cap. XIX.

(10) Goldhagen, Introductio in S. Scripturam. Parte 1. sect. 1. quæst. VI.

(11) Principes discutés pour faciliter l'intelligence des livres prophétiques, et spécialement des Psaumes relativement à la langue originale. Paris 1755. T. 1. p. 250 et seq.

(12) Theologia ad usum Seminariorum ; tract. de virtutib. Theolog. Part. 1. n. 62.

(13) Theologia universa auctore R. P. Thoma ex Charmes. Nanceii 1759. Tom. 1. de prolegomenis, pag. 123 sq.

(14) Prolegomena bipartita in S. Scripturam, studio et operâ F. Andreæ Pauly, ord. fratr. min. recoll. Lovanii. Part. 2. Dissert. IV. Cap. 2. artic. 2.

(15) Scriptura Sacra contra incredulos propugnata auctore Laurentio Veith Soc. Jesu.; edit. Mechlin. 1824. Tom. 3. pag. 328.

(16) S. Augustini confessionum Libri XIII vario commentariorum genere illustrati... operâ et studio Fr. Archangeli a Præsentatione, sacerdotis professi carmelitæ excalceati. Florentiæ 1757 ; in notis ad Lib. XII. cap. 31. pag. 900 sq.

(17) Jo. Nepomuceni Schaefer Institutiones scripturisticæ Moguntiæ 1792. P. 2. pag. 26.

est, non omnes æque asseveranter de re loquuntur; sic, ut hoc exemplo utar, Bellarminus sententiam quam oppugnamus defendit non ut *certo veram*, sed tantum ut sententiam *non improbabilem.*

Itaque sæculis duobus posterioribus late dominabatur sententia, quæ docet litteralem sensum multiplicem in Scripturis passim esse agnoscendum; sed deinceps immutata rerum facies est; nam alios videas, ubi de Sacræ Scripturæ sensibus agunt, de litterali sensu multiplici omnino silentes, quod argumento esse potest eos minime eidem favisse; alii vero multiplicem sensum litteralem alicubi in Sacrâ Scripturâ agnoscendum esse diserte negant. Inter priores recensendi sunt Florianus Dalham (1), Bernardus de Rossi (2), Franciscus Patricius Kenrick (3), Josephus Monsperger (4) et Thomas Holtzclau (5). Ad alteram classem sunt referendi Johannes Jahn (6), Altmannus Arigler (7), Stephanus Wiest (8), Jo. Nep. Alber (9),

(1) Floriani Dalham, Presbyteri e Scholis piis, S. Theol. Doctoris, de Canone dogmatum Christianorum. Vindobonæ 1784. Dissertat. IX. pag. 250.

(2) Synopsi della Ermeneutica Sacra del Professore G. Bernardo de Rossi, preside della facoltà Teologica dell' università. Parma 1819. pag. 59.

(3) Theologiæ Dogmaticæ tractatus tres, de Revelatione, de Ecclesiâ et de verbo Dei, quos concinnavit Franciscus Patricius Kenrick, Episcopus Arath. in part. infid. et coadj. Ep. Philadelph. Philadelphiæ 1839. vol. 1. pag. 410 sqq.

(4) Institutiones Hermeneuticæ Sacræ V. T. auctore J. J. Monsperger, in universitate Vindobonensi Prof. Cæsareo-regio P. O. Vindobonæ 1776. Cap. 5. § 41. 42.

(5) Thomæ Holtzclau in almâ universitate Wirceburgensi Prof. Institutiones Scripturisticæ. Wirceburgi 1775. Tom. I. Sect. 8.

(6) Enchiridion Hermeneuticæ generalis tabularum veteris et novi Fœderis, auctore Johanne Jahn, Philosoph. et Theol. Doct., Eccles. metropolit. ad S. Stephan. canon. capit. etc. Viennæ 1812. § 9.

(7) Hermeneutica Biblica generalis, usibus academicis accommodata ab Altmanno Arigler, Theol. Doct. abbate ord. S. Ben. Gottwicensi etc. Viennæ 1813. § 16.

(8) Stephani Wiest in almâ Catholicâ Universitate Ingolstadiensi professoris publici ordinarii, Demonstratio Religionis Christianæ. Ingolstadii 1790. Tom. 3. § 326.

(9) Institutiones Hermeneuticæ Scripturæ Sacræ N. T. quas edidit Jo. Nep. Alber e Scholis piis, s. Th. Dr, S. Script. et Ling. Hebr. Prof. in reg Univ. Pestiensi. ed. altera. Pestini 1830. T. 1. Cap. 3. § 11 et 12.

J. B. Glaire (1), Jonath. Mich. Loehnis (2), Franc. Xav. Patritius (3), Joannes Ranolder (4), et, qui scripsit ante quatuor posteriores, Mauritius Benedictus Oliveri, Monachus ex ordine Prædicatorum doctissimus, Hebraicæ linguæ in Rom. Archigymnasio et Græcæ in Collegio de Propagandâ fide quondam Professor. Cujus viri verba hic attulisse non abs re fuerit: *Ponit,* inquit(loquitur autem de Francisco Baldi, contra

(1) Introduction historique et critique aux livres de l'Ancien et du Nouveau Testament, par J. B. Glaire, membre de la Société asiatique et professeur d'hébreu à la faculté de Théologie de Paris. — Paris 1839. Tom. 1. p. 342.

(2) Grundzüge der biblischen Hermeneutik und Kritik entworfen von J. M. Loehnis. Dr. Theol. Prof. an der Katholisch-theologischen Facultät zu Giessen. Giessen. 1839. pag. 23.

(3) De interpret. S. Script. lib. 1. cap. 3. q. 2. Rev. P. Patritius inter patronos sententiæ quam defendimus annumerat etiam Cerbonium (Theolog. revel. L. 2. q. 1. art. 3. schol. 2.), Palumbum (in Thom. 1. q. 10. art. 10.), Tartaretum (In Prolog. Scoti q. 3. p. 35. col. 2. Venet. 1583), Maldonatum (in Is. LIII. 4., Jerem. XXXI. 15., Matth. II. 15. 18; VIII.17), Frassenium (Scotus academic. T. 1. disp. proœm. art. 3. q. 5. nn. 9. 10) et Calmetum (Dictionar. ad. v. *Sensus Scripturæ*). Ex his scriptoribus trium priorum opera mihi desunt, quare eos negasse multiplicem in Scripturis sensum litteralem ego quidem affirmare nequeo, sed libenter credo Patritio illud affirmanti. Verum quod attinet ad tres posteriores auctores quos Patritius citat, dubito an jure recenseantur inter patronos sententiæ quam defendendam suscepimus. Nam Calmetus, in loco certe a Patritio indicato, nec de uno sensu litterali loquitur, nec de multiplici, sed tantum docet quid sit sensus litteralis, et hoc breviter his verbis: *Sensus litteralis et historicus est, quem historia, res gestæ et voces Scripturæ legentibus statim exhibent.*— Frassenius vero Sacræ Scripturæ verba plures interdum habere sensus litterales apertissime docet in suis *Disquisitionibus Biblicis*, lib. III. cap. IV. § 14. pag. 478. sqq. in editione Parisiensi 1682. Frassenium vero sibi contradixisse in *Scoto suo Academico*, ipse asserere nequeo, quum eum librum inspicere non potuerim. Maldonatus tandem quid dicat in commentario suo in Isaiæ cap. 53. v. 4. scire non potui, quum is commentarius mihi desit. Sed ex tribus reliquis locis a Patritio indicatis non constare mihi videtur Maldonatum sententiæ nostræ favisse.

(4) Hermeneuticæ Biblicæ generalis principia rationalia, christiana et catholica... exhibet Joannes Ranolder S. Th. Dr. in Lyceo Episc. Quinque-eccles., Linguarum Hebrææ et Græcæ, et studii Biblici utriusque fœderis Prof. — Quinque-ecclesiis 1838. cap. 2. § 10.

quem agit), *unius ejusdemque vocis in eodem Scripturæ loco multiplicem esse quandoque posse sensum litteralem. Thesim hanc uti vesanam a quibusdam sacræ hermeneuticæ magistris traduci video. Alios plures de eâdem ne loqui quidem reperio... Me ab hâc thesi valde abhorrere non dissimulo* (1).

Nec desunt tamen qui nostrâ ætate, communem Theologorum sententiam secuti, litteralem sensum multiplicem defendant. Ex his notavi auctorem anonymum opusculi quod inscribitur: Introductio in libros sacros V. et N. Testamenti, Mechliniæ a. 1842 editi, Cl. Bracq (2) et Liebermann (3), ad quorum sententiam accedere videtur etiam Rev. P. Perrone (4).

Itaque, quod colligitur ex historiâ quæstionis litterariâ quam præmisimus, sæculis XVII et XVIII sententia quæ docet interdum multiplicem esse in Scripturis sensum litteralem, in Scholis catholicis maxime viguit, atque ita quidem ut nemo, quod sciam, eo temporis spatio extiterit, qui eidem plane contradiceret. Sed ut eo tempore quo primum ex instituto defendi cœpit ea sententia, adversarios suos habuit viros sane

(1) De voce כן, unde incognita hactenus de cruce vaticinia in sacro hebraico textu cl. vir Franciscus Antonius Baldi a se detecta exhibuit, lucubratiuncula Fr. Mauritii Benedicti Oliverii, ord. Præd. Romæ. 1817. pag. 16.

(2) Prolegomena in Sacram Scripturam, curante H. F. Bracq. Presb. et SS. Litt. Prof. Gandæ 1844. pag. 57. sq.

(3) Institutiones Theologicæ auctore Fr. Leop. Liebermann, ed. 2. Moguntiæ. 1827. Tom. II. parte 2. art. 3. prop. 2. § 2.

(4) Prælectiones Theologicæ quas in collegio Romano S. J. habebat Joannes Perrone e Soc. Jesu, in eodem coll. Theol. Prof. ed. Lovan. 1843. vol. IX. pag. 158. — Perrone quid sentiat non apertè dicit. *Omittimus*, inquit, *quæstionem, utrum unus idemque Scripturæ textus duos possit sensus litterales pati, uti plures nec fortasse immerito contendunt.* Quæ vero ibi (p. 159) scribit vir doctissimus : *nos cum communi theologorum et interpretum sententiâ dicimus, solum litteralem sensum eum tandem esse, qui argumenta præbere theologo possit ad dogmata evincenda et vindicanda*, hæc, inquam, ne contra mentem auctoris intelligantur, explicatione indigere videntur. Quod autem ibidem (in notâ) affirmat Perrone, *Lutherum omnium primum defendisse litteralis sensûs unitatem*, in eo sane erravit a vero, ut constabit ex Theologorum medii ævi de sensu litterali doctrinâ, quam infra (part. 2. sect. 4) sumus exposituri.

quam gravissimos, ita postquam diu erat tranquille dominata, denuo cœpit aut oppugnari ab his, aut despectui haberi ab illis. Qui deditâ operâ eam sententiam oppugnarunt, scriptores omnino tres notavi, scilicet Estium, Alber et Patritium. Ipsi autem, quod eorum instituti ratio id minime ferebat, de re non potuerunt ita copiose disputare ac nos in præsenti dissertatione id sumus facturi (1).

CAPUT III.

RECENSENTUR ARGUMENTA QUIBUS MULTIPLICIS LITTERALIS SENSUS PATRONI USI SUNT AD CAUSAM SUAM TUENDAM.

Auctores qui multiplicem in Scripturis litteralem esse sensum defendunt non omnes quidem legi, multos tamen et, ni fallor, præcipuos; ut asserere non dubitem cepisse me cognitionem argumentorum præcipuorum, quibus usi sunt patroni multiplicis sensûs litteralis ad causam suam tuendam.

Argumenta autem quæ ab ipsis allata fuerunt, ex quo præsens quæstio agitari cœpit, ad quatuor omnino classes revocari possunt, ut supra jam notavi. Nam ea ducuntur *vel* a doctrinâ sanctorum Patrum, quos secum sentire affirmant; *vel* a nonnullis Sacræ Scripturæ locis, quæ in duas pluresve sententias *ad litteram* accipienda esse certo constare asseverant; *vel* porro ab auctoritate Lateranensis Concilii; *vel* tandem a doctrinâ Theologorum Scholasticorum.

Quæ omnia, ut uno oculorum velut conjectu lustrari possint, hic subjicimus in quatuor sectiones distributa.

(1) Alber et Patritius ad nonnulla tantum adversariorum argumenta respondendum putarunt. Quod et de Estio dicendum est. Alber et Patritii responsa suis quæque locis commemorabimus. Estius vero quid quibus argumentis responderit, plenissime poterit cognosci ex theologicâ ejus de præsenti quæstione dissertatiunculâ, minus notâ, quam, quia pluribus id gratum fore intelleximus, ad calcem nostræ dissertationis recudendam curavimus.

SECTIO PRIMA.

AFFERUNTUR SS. PATRES QUOS SUÆ SENTENTIÆ PATRONOS LAUDANT ADVERSARII.

—

S. Basilius.

Hunc velut multiplicis sensûs litteralis assertorem excitat Salmeron. *Prodeat Basilius*, inquit, *qui in proœmio operis De Spiritu Sancto expendendos esse docet ipsos litterarum apices, ipsas litteras et syllabas, nedum voces et orationes* (1).

S. Joannes Chrysostomus.

Chrysostomus, ait Salmeron, *obsecrat* (Hom. 21 in Genesin) *ne simpliciter ea quæ in S. Scripturâ continentur accipiamus, quod multas sensuum habeat divitias, quod dictata sit a Spiritu Sancto; neque syllabam aut articulum in sacris litteris esse, in cujus profundo non sit ingens thesaurus* (2).

Bonfrerius (3) et Goldhagen (4) ad probandam sententiam quam oppugnamus, hæc sancti Chrysostomi (Hom. 7 in 1 ad Corinth.) verba proferunt : *Præterea multis in locis duplices sunt Prophetiæ, quæ facile ab assuetioribus comprehendi possunt.*

S. Hieronymus.

In verbis singulis, ait, *multiplices latent intelligentiæ* (5).

Idem S. Doctor dixit : *Singuli sermones, syllabæ, apices et puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus* (6).

Ad hanc sententiam, ait Salmeron (loc. cit.), *accedit Hiero-*

(1) Op. cit. p. 84. Basilium citat etiam De Turre, cit. op. p. 58.

(2) Idem Chrysostomi locus allegatur etiam a De Turre. ibid.

(3) Præloq. in Script. S. Cap. XX. sect. 5.

(4) Cit. op. part. 1. sect. 1. q. 6. Eumdem hunc Chrysostomi locum præter Bonfrerium et Goldhagen etiam alii laudant.

(5) Laudant hæc Salmeron (loc. cit.), Frassen (loc. cit.), Goldhagen (loc. cit.), Plazza (loc. cit.), Bukentop (loc. cit.), alii.

(6) Allegantur hæc a Salmerone (loc. cit.), Frassenio (loc. cit.), aliis.

nymus qui, in Prophetas et alios libros Scripturæ scribens, non minus quasi textui consonam explicat editionem Septuaginta interpretum quam Hebraicam veritatem, etiamsi diversos porrigant sensus : quod non faceret, nisi pro constanti haberet, eamdem literam plures posse sensus recipere.

S. Gregorius Magnus.

Plerumque, ait, *in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, ut, dispensante mirabiliter Deo, multipliciter exponatur.* Homil. in Ezech. lib. 1. Homil. 10. (1).

S. Leo.

In Christo Jesu Filio Dei, inquit, *non solum ad divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est* (Isaiæ 53.) : *Generationem ejus quis enarrabit* (2).

S. Augustinus.

Citatur S. Augustinus ab omnibus qui multiplicem esse litteralem sensum defendunt. Loca quæ allegantur hæc sunt :

α) Ex Confess. lib. XII, cap. 31 : *Ita cum alius dixerit, hoc sensit quod ego; et alius, imo illud quod ego; religiosius* (3) *me arbitror dicere, cur non utrumque potius, si utrumque verum est.*

β) De doctrinâ christianâ, lib. 3, cap. 27 : *Id*, ait, *tamen eo conante, qui divina scrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniatur auctoris, per quem Scripturam illam Sanctus operatus est Spiritus; sive hoc assequatur sive aliam sententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exsculpat, testimonium habens a quocumque alio loco divinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eisdem verbis, quæ intelligere volumus, et ipsam sententiam forsitan vidit... Quid in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis?*

(1) Hæc affert Cl. Bracq, cit. op. pag. 58.

(2) Adducunt hæc S. Leonis verba Bukentop (Pædag. p. 50), alii.

(3) In prolegomenis Serarii (cap. XXI. quæst. XII) mendose legitur *religiosum* pro *religiosius*.

S. Bernardus.

Unus quilibet divinus sermo, ait, *non erit abs re, si diversos pariat intellectus* (1).

SECTIO SECUNDA.

AFFERUNTUR ARGUMENTA DUCTA EX NONNULLIS SACRÆ SCRIPTURÆ LOCIS.

Ex libro Genesis.

α) ex cap. 1. v. 1.

«Certe, ait Bukentop (2), primum Scripturæ verbum בראשית
» *Bereshith*, hoc est *in principio*, sic optime intelligitur: Primo,
» *in initio temporis*. Secundo, *primo omnium*, seu antequam
» quidquam aliud faceret Deus. Tertio, cum SS. Patribus
» Ambros. Lib. 1, Hexaëm. cap. 4, August. Lib. 12, Confess.
» cap. 20, Hieron. in qq. Genes. etc., sic : *in filio*, seu *per*
» *filium*, qui de seipso dicit, Joan. 8, 25 : *Ego principium, qui*
» *et loquor vobis*; et Apoc. 1, 8 : *Ego principium et finis*. Om-
» nes autem hi sensus litterales sunt, cum nullus significetur
» mediante significatione alterius, sed omnes immediate. »

β) ex cap. 47. v. 31.

« Plures aliquando sensus litterales in eodem Scripturæ loco
» agnoscendos esse, ait Goldhagen (3), probatur ab inductione;
» ex. g. Genes. XLVII, vers. ult. S. Hieronymus vertit : *ado-*
» *ravit Israel Deum conversus ad lectuli caput*; Septuaginta vero
» vertunt : *adoravit Israel ad fastigium virgæ ejus*; utraque
» lectio probatur : illa Hieronymi, ex authentiâ Vulgatæ ; al-
» tera τῶν LXX ex Hebr. XI, 21. »

(1) Adducunt hæc de Turre (loc. cit.), Bukentop (Tract. de sensibus S. Scripturæ loc. cit.), alii.

(2) De sensibus Sacræ Scripturæ, cap. IV. n° 31. 32. Idem locus affertur a de Turre (loc. cit.), Sylvio (loc. cit.), aliis.

(3) Loc. cit. Idem illud in exemplum adducitur a Bukentop (De sensibus S. S. loc. cit.), aliis.

Ex Psalmo secundo.

« Quod una Scripturæ sententia plures sensus litterales excipiat, ait Salmeron (1), ostendo exemplo ex Pauli doctrinâ » sumpto. Ille enim Davidis verba (Psalm. 2, v. 7): *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, multipliciter ad litteram exposuit. Primo quidem, de æternâ » generatione ex Patris substantiâ... unde ad Hebræos, » cap. 1. Christi divinitatem comprobans, ait: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: filius meus es tu, ego hodie genui te...* » Secundo, intelligitur a Paulo de gloriosâ Christi ex mortuis » resurrectione; ita enim prædicando dixit (Act. Ap. cap. 13, » v. 33): *resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo scriptum est: filius meus es tu, ego hodie genui te...* Tertio, eâdem sententiâ probat Paulus, Christum a Patre ad sacerdotium » promotum fuisse, dicens (Hebr. 5.): *Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te.* »

Ex Isaiæ cap. 53.

a) *ex v.* 4.

« Tertius locus, ait Fulgentius Bottens, sit ex Isaiæ cap. 53, » v. 4, qui locus a Hieronymo in textu nostro sic effertur: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit;* eumdem vero LXX sic reddunt: *Ipse peccata nostra portat et pro nobis dolet.* Ubi utrobique litteralis sensus » est de languoribus spiritualibus seu peccatis, seu potius (2) » de eorum pœnis pro nobis tolerandis, pro nobis satisfaciendo et satispatiendo. Etiam juxta interpretationem » D. Petri Epist. 1, cap. 2, 24, dicentis: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, cujus livore sanati*

(1) Prolegom. VIII. pag. 80. Hunc Psalmi secundi locum tamquam multiplicis sensûs litteralis exemplum omnium præclarissimum afferunt omnes.

(2) Sunt qui tertium aliquem sensum litteralem in his Isaiæ verbis

» *estis.* Consonat et D. Paulus, 1 Cor. 15, 3. S. Matthæus
» autem, cap. 8, 16, hunc locum de corporalibus morbis
» intelligit, non mystice, cum peccata seu morbi animæ non
» sint figuræ morborum corporis, sed potius e contra; non
» accommodatitie, cum dicat : *ejiciebat spiritus verbo, et*
» *omnes male habentes curavit,* UT ADIMPLERETUR *quod dictum*
» *est per Isaiam prophetam* etc., sed litteraliter (1). »

β) ex v. 8.

« Illud Isaiæ (cap. 53, v. 8) : *Generationem ejus quis enar-*
» *rabit,* a Patribus, inquit Thomas ex Charmes (2), intelligi-
» tur de æternâ simul et temporali Christi generatione; utra-
» que enim est ineffabilis. »

Ex Habacuc. cap. 3, 2.

« Locum Habacuci (cap. 3), ait Goldhagen (3), S Hieronymus
» vertit : *In medio annorum notum facies*; at LXX : *In medio*
» *duorum animalium cognosceris.* Harum prior in Vulgatâ ex-
» tat; posterior usurpatur ab Ecclesiâ in officio divino de
» Circumcisione Domini et in Epiphaniâ. Differentia autem
» harum versionum repeti commode potest ex diversâ earum-
» dem vocum Hebraicarum lectione. »

Ex Evangelio S. Joannis.

« Serarius (4), Frassenius (5) aliique in exemplum multi-
» plicis sensûs litteralis afferunt hoc Jo. c. 11. v. 50 : *Expedit*
» *vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens*
» *pereat.* »

statuentes, ea dicta velint non tantum de pœnis peccatorum a Messia luendis, sed et de peccatis ab ipso auferendis, *quia*, aiunt, *ita S. Petrus* (Ep. 1. cap. 2. v. 24.) *Isaiam interpretatus est.*

(1) OEconomia Sacra. Tom. 2. Part. 3. Disp. 5. Eumdem locum afferunt etiam Salmeron (loc. cit.), de Turre (loc. cit.), Bonfrerius (loc. cit.), alii.

(2) Loc. cit. Eadem verba adducuntur etiam a Vasquezio (loc. cit.), Silvio (loc. cit.), Goldhagen (loc. cit.), Liebermann (loc. cit.), Bottens (loc. cit.), alii.

(3) Loc. cit.

(4) Loc. cit.

(5) Loc. cit.

SECTIO TERTIA.

AFFERTUR ARGUMENTUM DUCTUM AB AUCTORITATE LATERANENSIS CONCILII.

—

Argumentum hoc profertur a Cornelio a Lapide (1). « Plu- » res, inquit, non tantum typicos et typice subordinatos, » sed etiam dissimiles et disparatos posse esse sensus lit- » terales Sacræ Scripturæ, colligitur ex concilio Lateranensi » (*cap. Firmiter, de summâ Trinitate*), ubi Concilium ex illo » Gen. 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, juxta » duos sensus litterales, duas concludit veritates, scilicet » quod mundus incœperit, quasi τὸ *in principio* significet prin- » cipium temporis, et quod nihil ante mundum sit produc- » tum, quasi τὸ *in principio* idem sit quod *ante omnia*. » —

SECTIO QUARTA.

AFFERUNTUR ARGUMENTA DUCTA EX DOCTRINA THEOLOGORUM SCHOLASTICORUM.

—

Theologos Scholasticos omnino duos adducunt adversarii nostri tamquam patronos sententiæ quam defendunt. Horum prior sanctus Bonaventura est, quem affirmant verba Gen. 1, v. 1, et quæ leguntur Psalmo II, *ego hodie genui te*, ita exposuisse ut inde constet Bonaventuram in eâ fuisse sententiâ ut crederet, Sacræ Scripturæ verbis sensum multiplicem eumdemque litteralem passim esse subjiciendum.

Alter qui ab ipsis laudatur et in quo plane exsultant, sanctus Thomas est, quem quadruplici testimonio ipsis patrocinari gloriantur. Subjicimus hic quadruplex illud testimonium.

(1) Loc. cit. Eamdem sententiam memorat etiam Bannesius (loc. cit.). « *Quidam arbitrantur*, inquit, *Lateranense concilium ex duplici sensu illius* in principio creavit, *duplicem errorem damnasse.* » Cf. etiam Silvius (loc. cit.).

1. Ex Quodlib. VII, quæst. VI, ubi dicit (artic. XV, in resp.) : *Totum id ad sensum litteralem pertinet, quod ex ipsâ verborum significatione recte accipitur.*

2. Ex Comment. in lib. 2 Sentent. Dist 12, art. 2 ad 1, ubi hæc habet : *Auctoritati Scripturæ in nullo derogatur, dum diversimode exponitur, salvâ tamen fide, quia majori veritate eam Spiritus Sanctus fœcundavit, quam aliquis homo adinvenire possit.*

3. Ex quæst. IV, de Potentiâ, art. 1, ubi hæc leguntur : *Omnis veritas, quæ, salvâ litteræ circumstantiâ, potest divinæ Scripturæ aptari, est ejus sensus.*

4. Ex Summæ part. 1, quæst. 1, art. 10 : *Quia auctor Sacræ Scripturæ*, inquit, *Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus (lib. 12. Confessionum), si etiam secundum litteralem sensum in unâ litterâ Sacræ Scripturæ plures sint sensus.*

Hæc ergo sunt argumenta, quæ patroni multiplicis sensûs litteralis ad stabiliendam suam sententiam attulêre. Sunt quidem, præter ea quæ recensui, et alia pauca quædam Sacræ Scripturæ loca, quæ ab uno vel altero ad causam suam defendendam laudata videas, sed quod inde arripitur argumentum aut plane nullum est, aut vere ludicrum. Quare ea loca nec recensenda putavimus. Quod vero attinet ad argumenta quæ ducuntur sive a Dei omnipotentiâ ejusque infinitâ sapientiâ, sive ex mirâ Scripturæ fœcunditate et profunditate, ea vel ideo transmisimus quia non erant ad rem. Scilicet in disputatione de multiplici sensu litterali agitur quæstio *facti*; itaque ad eam rem probandam vana est omnis argumentatio *a priori.*

PARS POSTERIOR.

PERPENDUNTUR EXPOSITA ARGUMENTA.

Quæ patroni multiplicis sensûs litteralis, ex quo tempore quæstio hæc agitari cœpit, ad causam suam tuendam proferre potuerunt argumenta, ea ex ordine et distincte supra recensuimus; quâ in re ita versati sumus, ut certo sciamus futurum neminem, qui nostram aut in colligendis argumentis diligentiam, aut fidem desideret in exponendis. Superest jam, ut quæ prolata fuere argumenta, accurate consideremus, et quid ponderis habeant sedulo perpendamus; quod ita præstabimus, ut quo ordine supra fuere recensita, eodem nunc singula simus ponderaturi.

SECTIO PRIMA.

PERPENDUNTUR ARGUMENTA DUCTA EX DOCTRINA SS. PATRUM.

§ 1. *Ex verbis S. Basilii* (1).

Ipsa sancti Doctoris verba non recitavit Salmeron (1), nos tamen id facturi sumus, et quidem aliquantisper copiosius, quo liquidius constet de mente Basilii. Igitur in procemio libri sui *De Spiritu Sancto*, quem tractatum Amphilochio Iconii Episcopo dedicavit, his verbis virum sanctissimum affatur Basilius : *Collaudavi*, inquit, *in moribus tuis discendi et laborandi studium; ac supra modum delectatus sum attentione atque vigilantiâ elucente in tuâ illâ sententiâ, quâ vocem nullam ex iis quæ in omni sermonis usu de Deo proferuntur, citra examen relinquendam putas... Haud perfunctorie voces theologicas au-*

(1) Vid. supra pag. 17.

dire, sed conari, quid in quâque dictione, quid in quâque syllabâ reconditi sensûs lateat perscrutari, non est eorum qui segnes sunt ad pietatem, sed qui vocationis nostræ scopum intelligunt (1).

Ego quidem fateor posse aliquem, his lectis, si ignoret quâ de re Basilio sermo sit, in eam induci opinionem, ut sanctum Doctorem credat docere, (etsi rem verbis exaggerando), in Sacrâ Scripturâ, præter sensum litteralem, etiam profundiorem aliquem sensum, mysticum puta, passim latere; nam ejusmodi aliquid innuere videri potest quod dicit : ἐν ἑκάστῃ συλλαβῇ κεκρυμμένος νοῦς *in quâque syllabâ reconditus sensus;* sed ad probandum multiplicem *litteralem* sensum in Scripturis interdum esse agnoscendum, laudatus Basilii locus ne speciem quidem argumenti præbet.

Nam, ut dicam quod res est, Basilius nec de multiplici litterali sensu agit, nec omnino de aliquo multiplici Sacræ Scripturæ sensu, laudato loco sermonem habet; ad quod demonstrandum satis erit enarrasse, unde Basilio enata sit occasio scribendi librum, qui inscriptus est *De Spiritu Sancto.*

Scilicet Basilius aliquando preces cum populo fundens, δοξολογίαν SS. Trinitatis, quâ piæ preces absolvi solebant, ita enuntiaverat ut modò diceret : *Gloria Deo ac Patri* CUM *Filio una* CUM *Sancto Spiritu;* modò autem : *Gloria Deo ac Patri* PER *Filium* IN *Sancto Spiritu.* Quod quum aliquibus offensioni fuisset, a Basilio petivit Amphilochius, Iconii Episcopus, ut de vi harum syllabarum, *in*, *cum*, *per*, dilucidam doctrinam scripto evulgaret (2). Huic ergo petitioni satisfecit Basilius libro suo qui *De Spiritu Sancto* inscribitur, in quo

(1) Ἐπήνεσα τὸ φιλομαθές σου καὶ φιλόπονον τοῦ τρόπου, καὶ ἤσθηνγε ὑπερφυῶς τῷ ἐπιστατικῷ καὶ νηφαλίῳ τῆς διανοίας, δι' ἧς οὐδεμίαν ἀδιερεύνητον οἴει χρῆναι καταλιμπάνειν φωνὴν, τῶν ὅσαι περὶ θεοῦ κατὰ πᾶσαν χρείαν τοῦ λόγου προφέρονται..... τὸ γὰρ μὴ παρέργως ἀκούειν τῶν θεολογικῶν φωνῶν, ἀλλὰ πειρᾶσθαι τὸν ἐν ἑκάστῃ λέξει καὶ ἐν ἑκάστῃ συλλαβῇ κεκρυμμένον νοῦν ἐξιχνεύειν, οὐκ ἀργῶν εἰς εὐσέβειαν, ἀλλὰ γνωριζόντων τὸν σκοπὸν τῆς κλήσεως ἡμῶν. Ed. Benedictin. Parisiis 1730. Tom. 3, p. 1-2.

(2) Rem narrat ipse S. Basilius in extremâ parte procemii : « *Nuper*, inquit, *precanti mihi cum populo, et utroque modo Glorificationem absolventi Deo ac Patri, interdum* CUM *Filio unà* CUM *Sancto Spiritu,*

diligenter inquirit, quæ notio sit illis voculis subjecta in Sacris Scripturis, ubi de Patre aut Filio aut Spiritu Sancto sermo est. Quæ quum ita sint, manifesto patet quid S. Basilius sibi voluerit, quando in proœmio sui operis, hyperbolâ usus, dicit: *perscrutandum esse quid in quâque Sacræ Scripturæ dictione, quid in quâque ejus syllabâ reconditi sensûs lateat.* Quid tandem est, inquam, in his Basilii verbis ex contextâ ejus oratione explicandis, quod suadeat eum, non dico locutum esse, sed vel cogitasse de multiplici sensu litterali?

§ 2. *Ex verbis S. Joannis Chrysostomi.*

Sancti Chrysostomi verba summatim recitavit Salmeron (1); nobis tamen liceat integrum locum hic afferre, quum id nonnihil ad rem nostram facere existimemus. Verba sancti doctoris, quæ mox exhibebimus, leguntur in exordio vigesimæ primæ ejus in Genesin homiliæ. In eâ Chrysostomus disserendo percurrit quintum libri Geneseos caput, in quo, ut notum est, posterorum Adæ per Seth ad Noachum usque genealogia contexitur. Itaque præviderit prudens orator, auditores suos, quum hanc Sacræ Scripturæ partem enarrandam scirent, jejunam existimaturos esse tractationis materiam, eamque ob causam futurum ut ad dicenda negligentius attenderent. Quod ut præcaveret, homiliam suam dextere sic exorditur:

Magnus et ineffabilis thesaurus, dilecti, in verbis modo lectis reconditus est. Et scio quidem, multos nominum catalogum respicientes, et lectionis superficiei hærentes, putare nihil amplius in dictis quam mera nomina esse; ego autem vos omnes obsecro, ne simpliciter ea, quæ in Scripturis Sacris contenta sunt, transeatis. Nihil enim hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias; quandoquidem divino spiritu afflati prophetæ

interdum PER *Filium* IN *Sancto Spiritu, quidam ex iis qui aderant, crimen intenderunt dicentes, nos non modo peregrinis ac novis uti vocibus, verum etiam inter se pugnantibus. Tu porro maxime illorum utilitati consulens, aut si prorsus ipsi insanabiles sint, tamen propter eorum, qui in ejusmodi homines incidunt, securitatem, postulasti quampiam dilucidam doctrinam de vi harum syllabarum evulgari.* »

(1) Vid. supra pag. 17.

loculi sunt, ideo, utpote a Spiritu scriptæ, ingentem in se continent thesaurum. Et ne mireris quod in hâc nominum enumeratione multas latentesque divitias sententiarum vobis me ostensurum pollicear. Neque enim vel syllaba vel apiculus est in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus... Si in sæcularibus negotiis scripta, quæ ab hominibus conficiuntur, sæpe tempore corrupta, a tempore initio instrumenti notato et ab unâ syllabâ multum momenti habent; multo magis hoc in Scripturis divinis a Spiritu Sancto compositis invenitur, modo sobrii simus et non temere prætergrediamur, sed intentâ mente diligenter omnia consideremus... Age ergo, prolatis in medium iis, quæ nunc lecta sunt, diligenter singula perscrutemur. ISTE EST LIBER GENERATIONIS, etc. (1).

Obiter hic observo verba Chrysostomi hæc : *μὴ ἁπλῶς παρατρέχειν*, quæ a nostro interprete reddita sunt : *non simpliciter transire*, a Salmerone, aut ab interprete quo usus est, trans-

(1) Πολὺς καὶ ἄφατος ὁ θησαυρὸς, ἐν τοῖς πρόσφατον ἀναγνωσθεῖσι. Καὶ οἶδα μὲν ὅτι πολλοὶ πρὸς τὸν τῶν ὀνομάτων κατάλογον ἀφορῶντες, καὶ ἐξεπιπολῆς τοῖς ἀνεγνωσμένοις προσέχοντες νομίζουσι μηδὲν πλέον ἔχειν τὰ εἰρημένα, αλλ' ἢ ἁπλῶς ὀνομάτων εἶναι προσηγορίας· ἐγὼ δὲ παρακαλῶ πάντας ὑμᾶς μὴ ἁπλῶς παρατρέχειν τὰ ἐν ταῖς θείαις Γραφαῖς κείμενα. Οὐδὲν γὰρ τῶν ἐνταῦθα γεγραμμένων ἐστὶν, ὃ μὴ πολὺν νοημάτων πλοῦτον ἔχει· ἐπειδὴ γὰρ Πνεύματι θείῳ ἐνηχούμενοι ἐξέθεντο οἱ μακάριοι προφῆται, διὰ τοῦτο ἅτε Πνεύματι γεγραμμέναι πολὺν ἔχουσιν ἐγκεκρυμμένον θησαυρόν. Καὶ μὴ θαυμάσῃς, εἰ ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν ὀνομάτων νῦν ἐπαγγέλλομαι ὑμῖν δεικνύναι πολὺν ἐγκεκρυμμένον πλοῦτον νοημάτων. Οὐδὲ γὰρ συλλαβὴ, οὐδὲ κεραία μία ἐστὶν ἐγκειμένη παρὰ τῇ Γραφῇ, ᾗ μὴ πολὺς ἐναπόκειται θησαυρὸς ἐν τῷ βάθει ... Εἰ γὰρ ἐν τοῖς βιωτικοῖς πράγμασι τὰ ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων συντελούμενα γραμματεῖα πολλάκις τῷ χρόνῳ διαφθαρέντα, ὑπὸ τοῦ ἐγκειμένου χρόνου τῷ προοιμίῳ τοῦ γραμματείου, καὶ ἀπὸ μιᾶς συλλαβῆς πολλὴν ἔσχε τὴν ἰσχύν· πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ τῶν θείων Γραφῶν τῶν Πνεύματι ἁγίῳ συγκειμένων τοῦτο ἐστιν εὑρεῖν, μόνον ἐὰν νήφωμεν, καὶ μὴ ἁπλῶς παρατρέχωμεν, ἀλλὰ συντείνοντες ἡμῶν τὸν λογισμὸν κατοπτεύσωμεν ἅπαντα μετὰ ἀκριβείας... φέρε οὖν τὰ πρόσφατον ἀναγνωσθέντα εἰς μέσον προθέντες, διερευνησώμεθα μετὰ ἀκριβείας ἕκαστον. Αὕτη ἡ βίβλος, κ. τ. λ. Homil. XXI in Gen.

ferri : *non* SIMPLICITER *accipere*, quæ interpretatio videatur innuere verba Sacræ Scripturæ in *multiplicem* sententiam subinde esse accipienda. Verum falsa est ea latina translatio. Verba ἁπλῶς παρατρέχειν non significant *simpliciter accipere*, sed *leviter prœterire, non accurate inspicere ac velut negligere.*

Sed jam, age, videamus, an verba a Salmerone adducta firma sint ad probandum, multiplicem in Scripturis sensum litteralem ex Chrysostomi sententiâ passim esse agnoscendum.

Monet, ut vidimus, sanctus Doctor auditores suos, ne ea quæ in Sacris Scripturis minoris momenti esse videantur, cujusmodi præsens esset genealogia, *simpliciter accipiant*, ut Salmeron vertit. Hanc Chrysostomi admonitionem ad eas spectare Sacræ Scripturæ partes, quæ alicui minoris momenti videri possint, perspicuum est. Quare, si de multiplici sensu litterali hic reapse locutus esset Chrysostomus, dicendum foret eum docuisse multiplicem sensum litteralem latere vel in iis ipsis Sacræ Scripturæ locis, quæ minoris momenti esse videantur, ut sunt, verbi gratia, tabulæ genealogicæ! Hoc vero quis credat Chrysostomum sensisse?

At vero, ut jam notavimus, græca ἁπλῶς παρατρέχειν non significant *simpliciter accipere*, ut Salmeron voluit, sed *leviter prœterire ac velut negligere*. Quod quum ita sit, quid tandem, quæso, est in his verbis Chrysostomi, quod multiplicem istum sensum suboleat?

Nec magis ad rem sunt ea quæ porro e Chrysostomo recitat Salmeron. Nam quod dicit sanctus Doctor, *nihil scriptum esse quod non multas sensuum habeat divitias*, et mox, *nec syllabam vel apiculum esse in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus*, hæc, inquam, tantum abest ut significent in Scripturis multiplicem passim adesse sensum litteralem, ut ne quidem valeant ad probandum eum, qui omnino agnoscendus est, duplicem sensum, litteralem scilicet et mysticum. Nimirum sanctus Doctor omnino non agit de multiplici aliquo sensu Scripturarum, sed hoc tantum vult docere, scilicet in Sacris Scripturis nihil temere esse dictum, adeoque nihil perfunctorie esse tractandum aut leviter transeundum.

Quod si scire cupias quæ ergo tandem sint illæ quas dicit

Sacræ Scripturæ sententiarum sive sensuum divitiæ, homiliam legas, obsecro, ex quâ Salmeron argumentum suum hausit, et rem eris plenissime edoctus; nam in illius homiliæ exordio promittit Chrysostomus se, genealogicum illud Geneseos caput enarrando, auditoribus suis *multas latentesque Sacræ Scripturæ sententiarum sive sensuum divitias ostensurum.*

Interea accipe quoddam rei exemplum. Nativitatem Seth Sacra Scriptura ita enarrat : *Genuit Adam secundum speciem suam et secundum imaginem suam, et appellavit nomen illius Seth;* quæ verba sanctus Chrysostomus *negat* (an recte nec-ne, hic non inquiro) esse dicta de humanâ specie quâ homo hominem refert; *affirmat* autem eo sensu esse sumenda ut indicetur, fore ut Seth bonos parentis sui mores exprimeret. Observat porro sanctus Doctor, Scripturam, ubi nativitatem Caini memorat, nequaquam dicere, eum genitum *secundum speciem et imaginem Adami.* Quare? *ut indicaret*, inquit Chrysostomus, *illius in malum proclivitatem.* Atque hic unus est, advertas quæso, ex multis illis *latentibus* Sacræ Scripturæ sensibus, de quibus, paulo, ut videtur, exaggeratius, in exordio homiliæ suæ locutus fuerat. Sed accipe aliud exemplum. Ad verba : *et vixit Henoch annis centum sexaginta quinque et genuit Mathusalem* ; *et placuit Henoch postquam genuit Mathusalem*; ad hæc verba ita exclamat Chrysostomus : *Audiant viri et mulieres, et discant justi virtutem, nec putent nuptias in causâ esse quo minus quis Deo placeat. Nam idcirco divina Scriptura semel et iterum id significavit, dicens* : genuit Mathusalem et tunc placuit ; *et idem ingeminat ac repetit, dicens :* et placuit postquam genuit, *ut ne quis arbitretur obstaculum virtuti esse conjugium.* In quâ observatione alterum habes exemplum multorum illorum *latentium* in Sacrâ Scripturâ sensuum, de quibus Chrysostomus loqui voluit. Atque ejusmodi sunt cæteri omnes *sensuum thesauri*, qui in prolixâ illâ homiliâ ex Sacrâ Scripturâ ab eodem effodiuntur.

Quæ quum ita sint, satis mirari nequeo quì fieri potuerit, ut Salmeron, vir doctissimus, hunc Chrysostomi locum adducendum putaverit, ad probandum quam defendit sententiam sanctorum Patrum convenire doctrinæ. Quamquam, fateor, fieri potuit ut Salmeron verba sancti Doctoris a se allegata ab alio fidentius transcripserit, non vero ipse contextam istius homiliæ orationem aut græcum exemplar inspexerit.

Age vero, videamus jam an ea quæ a viris cll. Bonfrerio et Goldhagen (1) ex Chrysostomo afferuntur, firmiora sint ab probandum sanctum Doctorem sensisse cum patronis multiplicis sensûs litteralis. *Præterea*, inquit, Chrysostomus, ut citatur a Goldhagen, *multis in locis duplices sunt prophetiæ, quæ facile ab assuetioribus* (2) *comprehendi possunt.*

Quam vellem viri doctissimi non tantum attulissent verba quædam Chrysostomi, sed explicassent etiam et docuissent quâ tandem ratione hoc probent ea verba, ad quod probandum adducuntur. Ego quidem fateor me illud minime perspexisse; quin etiam potero forsan lectoribus meis persuadere Chrysostomum eâ de re omnino non loqui.

En ejus verba : *Ἄλλως δέ εἰσι καὶ διπλαῖ πολλαχοῦ προφητεῖαι τοῖς συνετωτέροις εὐκατάληπτοι, ἐξ ὧν πολλὰ τῶν ἀσαφῶν ἐστὶν εὑρεῖν* (3); hoc est : *cæteroquin sunt etiam duplices multis in locis prophetiæ, perspicacioribus perceptu faciles, ex quibus multa non manifesta inveniri possunt.* Quid tandem, quæso, ex his verbis confici potest, quo probetur Chrysostomum agnovisse multiplicem in S. Scripturâ sensum litteralem? *Sunt,* inquit, *duplices prophetiæ*; audio; sed minime dicit in uno eodemque S. Scripturæ loco secundum nativam verborum significationem duplex efferri vaticinium. Atqui tamen hoc agitur. Duplices novimus sane esse prophetias, sed eâ ratione duplices, ut vaticinium unum exprimatur verbis, alterum vero significetur per res vel personas verbis designatas. Exemplum sume ex vaticinio, quod secundum litteram sit de liberatione Judæorum ex captivitate Babylonicâ, in typico vero sensu prædicat humani Generis ex captivitate Dæmonis et peccati liberationem, quam procuravit nobis Cyri antitypus, Jesus Christus, qui *exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Coloss. cap. 2, v. 15. Ac de hujusmodi vaticiniis duplicibus sanctus Chrysostomus loqui videtur, quantum quidem colligi licet ex contextâ oratione istius loci aliquantulo obscurioris.

(1) Vid. supra pag. 17.

(2) Græce est *συνετωτέροις*, quod non significat *assuetioribus*, ut Goldhagen vertit, sed *perspicacioribus*; derivatur enim a *συνίημι.*

(3) In Ep. 1. ad Corinth. Homil VII.

Scilicet, quum in homileticâ suâ Epistolæ ad Corinthios interpretatione eo pervenisset, ubi dicitur : *sed ut scriptum est : oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se* (1), mox quærit sanctus Doctor, ubinam tandem hæc verba scripta sint; quum vero non recordaretur Sacræ Scripturæ locum ubi hæc verba leguntur (2), respondet, *etiam dici :* scriptum est, *quando id quod scriptum esse dicitur non quidem verbis expressum est, sed significatum per ipsas res, ut fit in historiis* (3), *vel quando aliquis Sacræ Scripturæ locus citatur non ad litteram sed secundum sensum tantum* (4). Addit porro, fieri etiam posse ut verba *oculus non vidit* etc., scripta fuerint in libro aliquo sacro, qui sive ante sive post Babylonicam captivitatem perierit, Apostolus tamen, seu traditione seu divinâ inspiratione, noverit inibi scriptum fuisse, quod hic (I Cor. 2, 9) scriptum esse affirmat (5). Sed brevi post, perinde ac si minus probaret postrema duo ad difficultatem responsa, ad illud redit quod primo loco dederat, idque cæteris præferens, in hujus confirmationem subjicere videtur : *cæteroquin sunt etiam duplices multis in locis prophetiæ*; quasi diceret : mirum videri non debet, quod supra dixi de historiis quæ habeant sensum unum litteralem, et alterum qui indicatur per ipsas res verbis expressas, quum etiam multis in locis habeantur *prophetiæ duplices*, puta una sub cortice litteræ, altera per priorem velut per imaginem adumbrata.

Satis constat, ni fallor, ex iis quæ hactenus disputavimus, in loco Chrysostomi a Bonfrerio et Goldhagen allegato de multiplici sensu litterali minime esse sermonem. Quod facile ipsi animadvertissent viri illi, si verba sancti Doctoris, vel avulsa a contextâ oratione, diligentius considerassent.

Quid enim? MULTIS *in locis*, inquit, *duplices sunt prophetiæ*;

(1) 1 Ep. ad Corinth. cap. II. v. 9.

(2) Isaiæ cap. 64. v. 4.

(3) *Λέγεται γὰρ γεγράφθαι, καὶ ὅταν μὴ διὰ τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ δί αὐτῶν τῶν πραγμάτων κείμενα ᾖ, ὡς ἐπὶ τῶν ἱστοριῶν.* Typicum, quem vocant, sensum S. Chrysostomus hic respicit.

(4) *Ἢ ὅταν τὸ αὐτὸ μὲν νόημα κείμενον ᾖ, μὴ ἐπ' αὐτῶν δὲ τῶν ῥημάτων.*

(5) Ibid. loc. cit.

atqui nec Bonfrerium nec Goldhagenium latebat, a patronis duplicis sensûs litteralis non indicari potuisse nisi *unum et alterum* Sacræ Scripturæ locum, in quo multiplex ille litteralis sensus sit agnoscendus.

Duplices illæ prophetiæ, inquit Chrysostomus, *facile a perspicacioribus percipi possunt.* Peto, tantâ-ne perspicaciâ opus est ad videndum, ut hoc utar, verba Isaiæ *generationem ejus quis enarrabit,* quod solemne in præsenti quæstione exemplum est, sumi posse ut dicta tam de æterno ortu Verbi ex Patre, quam de nativitate Christi ex beatâ Virgine?

Porro, si Chrysostomus in loco allegato hoc docuit quod volunt illi viri cll., mirer equidem cur *prophetiæ* vocabulo usus sit potius quam clariore, ut esset verbi gratia *γραφή*, *scriptura* vel aliquod simile.

Deinde, quum Chrysostomus dicat ex duplicibus illis prophetiis *reperiri posse multa non manifesta*, scire velim quæ aut qualia tandem sint *illa multa non manifesta*, quæ ex illo multiplicis sensûs arcano aut detecta jam sint, aut detegi deinceps possint.

Tandem, quum sanctus Chrysostomus magnam Sacræ Scripturæ partem interpretatione explicaverit, qui fit ut a patronis duplicis sensûs litteralis nullus Sacræ Scripturæ locus proferatur, quem sanctus Doctor in duas pluresve sententias ad litteram exposuerit. Nam si verum est, quod illi volunt, *in multis Sacræ Scripturæ locis* agnovisse Chrysostomum litteralem in Scripturis sensum multiplicem, sane prodigio simile est, sanctum Doctorem mirabilem illam Divini verbi fœcunditatem perpetuo neglexisse.

§ 3. *Ex verbis S. Hieronymi* (1).

Tamquam patronus multiplicis sensûs litteralis a Goldhagen aliisque laudatur etiam sanctus Hieronymus, quum in suâ Epistolâ 103, ad Paulinum, dixerit de Apocalypsi S. Joannis: *in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Locus integer hic est : *Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba.*

(1) Vid. supra pag. 17.

Parum dixi; pro merito voluminis laus omnis inferior est : in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Ex his ergo verbis volunt conficere sanctum Hieronymum in eorum fuisse sententiâ. Age vero, videamus an id forte non cupidius quam verius statuatur.

Profecto, jam hoc portenti speciem habet qui factum sit ut, si in singulis Apocalypseos verbis multiplices *latent* sensus litterales, ex patronis tamen multiplicis istius sensûs nemo fuerit, qui ex eo libro vel unicum adduxerit exemplum, quo suam sententiam firmare conatus sit. Adeo-ne ubique *latent* illi sensus?

Librum Apocalypseos Hieronymus non quidem exposuit, attamen loca ejus libri non pauca passim in suis scriptis explicavit. Mirum! nulla uspiam occurrit interpretatio, quæ vel minimam speciem habeat duplicis illius sensûs, quem, ut illi affirmant, Hieronymus docuisset in singulis Apocalypseos verbis latentem!

Ut mihi videtur, Hieronymus de multiplici sensu litterali omnino non cogitavit; sed quum laudato loco obiter loqueretur de Apocalypsi, grandioribus verbis et hyperbolâ usus, tantum dicere voluit eum librum plenum esse mysteriis, hoc est, rebus absconditis, quemadmodum alibi de Apocalypsi dixit : *Vidit* (Joannes) *in Pathmos insulâ Apocalypsim infinita futurorum mysteria continentem* (1).

Fieri potest ut sanctus Doctor per *latentes intelligentias* verborum Apocalypseos intellexerit, præter *futurorum mysteria*, etiam verborum sensus mysticos, anagogicos puta. Quidquid sit, nihil hic video quod *multiplices illas intelligentias* capiendas esse suadeat de multiplici iisdem verbis subjecto sensu litterali. Nam ne recte quidem sensum litteralem sensum dixeris *latentem;* certe sanctus Hieronymus, sicubi latentem in verbis sensum dicit, non litteralem aliquem sensum, sed mysticum intelligit, ut patet ex ipsâ hâc ad Paulinum epistolâ, ex quâ sumpta sunt verba de quorum intellectu disputamus. *Regum tertius*, ait, *et quartus liber a Salomone usque ad Jechoniam, et ab Jeroboam filio Naboth usque ad Osee, qui ductus est in*

(1) Adv. Jovin. Lib. 1. Edit. Vallarsii. Tom. II. p. 280.

Assyrios, regnum Juda et regnum describit Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt; si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiæ paucitas et Hæreticorum contra Ecclesiam bella narrantur (1).

At vir cl. Salmeron altero nobis occurrit Hieronymi dicto, quod extraxit ex ejus commentariis in epistolam ad Ephesios. Affert Salmeron hæc sancti Doctoris verba: *Singuli sermones, syllabæ, apices et puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus.* Sed præstat integrum dare locum, ut ex contextâ oratione mentem Hieronymi rectius edoceamur. Sic ergo scribit sanctus Doctor (in Ep. ad Ephes. cap. 3, v. 6): *Quod est autem hoc mysterium, quod, sicut nunc, aliis generationibus non fuit revelatum? Utique illud quod sequitur, esse gentes cohæredes* (συγκληρονέμα), *concorporales* (σύσσωμα) *et comparticipes* (συμμέτοχα) *promissionis in Christo Jesu per Evangelium, cujus factus est Paulus minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est ei juxtá operationem virtutis ejus. Scio appositionem conjunctionis ejus, per quam dicitur* CO-*hæredes et* CON-*corporales et* COM-*participes, indecoram facere in Latino sermone sententiam. Sed quia ita habetur in Græco, et singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus, propterea magis volumus in compositione structurâque verborum quam intelligentiâ perichtari.*

Jam, obsecro, quid tandem in his verbis est quod vel levissimam possit movere suspicionem sanctum Hieronymum in eâ fuisse sententiâ, ut crederet multiplicem passim in Sacrâ Scripturâ verborum esse sensum litteralem? Nonne manifestum est ideo ab eo dici *vel singulas syllabas in divinis Scripturis plenas esse sensibus*, ut causam reddat cur, licet voces *concorporales* et *comparticipes* sint minus latinæ, has tamen usurpare non

(1) Alber (cit. op. cap. 3. § 12) ad objectum ex Hieronymo locum hæc notat: « S. Hieronymus, inquit, de Apocalypsi Joannis dicit, in hujus singulis verbis multiplices latere intelligentias. Quod nondum significat, bis inesse plures etiam sensus, quos ipse scriptor sacer et Deus per illum loquens intenderit, sed tantum quod de sensu multum varient interpretum sententiæ; quod utique verum est. » — Sed hanc mentem fuisse S. Hieronymi quominus credam, obstat contexta istius loci oratio.

dubitaverit; quare? nam in græco, inquit, illa vocabula cum particulâ σὺν (cum) composita sunt; quæ particula otiosa haberi non debet; intellectum enim habet suum; *singuli sermones, syllabæ, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus*; perinde ac si diceret : Sacræ Scripturæ interpres voculas etiam minimas attendat; nihil enim ibi scriptum est quod intellectu careat.

Verum enimvero quam absurde locutus esset Hieronymus, si ejus verbis reapse foret ea subjecta notio, quam volunt patroni multiplicis sensûs litteralis. Quid enim? Quum sanctus Doctor dicat in divinis Scripturis *nihil* esse quod non sit *plenum sensibus*, si hoc de multiplici sensu litterali dictum intellexeris, conficitur eum docuisse ne minimam quidem Sacræ Scripturæ partem esse, nullam voculam, syllabam nullam, quæ non multiplicem habeat sensum litteralem. Apage istas ineptias!

Credideris ex scriptis Hieronymi, quum maximam Sacræ Scripturæ partem exposuerit, sexcenta afferri interpretationis exempla, quæ probent eum reapse id sensisse quod illi volunt. Falleris; ne unum quidem afferunt; et meâ quidem opinione frustra ea quæsieris. Contra, occurrunt loca quæ certissime probant sanctum Doctorem minime fecisse cum patronis multiplicis sensûs litteralis. Notum est eos uti dicto Isaiæ (cap. 53, v. 8.) : *generationem ejus quis enarrabit,* tamquam præclarissimo quodam multiplicis sensûs litteralis exemplo; atqui Hieronymus eum locum ita interpretatur, ut quem illi Isaiæ verbis affingunt sensum duplicem litteralem, ipse eisdem inesse neget, doceatque alterutro tantum sensu vocabulum *generationem* eo loco esse accipiendum. Verba ejus hic subjicimus: « *Generationem ejus quis enarrabit?* » Isa. Cap. 53. v. 8. *Quod dupliciter intelligitur : AUT enim de divinitate ejus accipiendum est, quod impossibile sit divinæ nativitatis nosse mysteria... AUT de partu virginis, quod difficulter possit exponi.* (In Isa. i. h. l.)

Sed occurrit iterum Salmeron et objicit, Hieronymum Sacras Scripturas exponentem, *non minus quasi textui consonam explicare versionem Septuaginta interpretum quam hebraicam veritatem, etiamsi diversos porrigant sensus, quod,* inquit, *sanctus Doctor non faceret, nisi pro constanti haberet, eamdem litteram plures posse sensus recipere.* Pace tanti viri dixerim,

eum ex præmissis vitiose concludere. Nam ex eo quod sanctus Hieronymus, in veteris Testamenti scripturis interpretandis suam, quam ex hebraico fecerat, versionem secutus, sicubi ab eâ discrepat versio Septuaginta interpretum, etiam hanc edisserit, hinc, inquam, non recte colligitur sanctum Doctorem multiplicem sensum litteralem in divinis Scripturis passim agnovisse. Quid ergo? scilicet, noluit Hieronymus, neglectâ Septuaginta-virali versione quæ tunc in omnium manibus erat, unice enarrare suam, quam recenter ex hebraico elaboraverat; tum quia ita visus fuisset versionem suam interpretationi Septuaginta-virali arrogantius præferre; tum etiam quia latere eum non poterat loca quædam hebraicæ Scripturæ aliter atque aliter ab interprete posse reddi; tum denique ne quorumdam animos offenderet. *Poteram*, inquit, *juxta Hebraicum quid mihi videretur currens legentibus indicare; sed quid faciam quorumdam studiis, qui, nisi et Septuaginta interpretum editionem disseruero, imperfectum opus me habiturum esse denuntiant; sequar igitur cœptum ordinem disserendi* (1).

Sed nolumus hæc uberius disputare, præsertim quum nemo patronorum multiplicis sensûs litteralis vel unum ex Hieronymi commentariis locum indicaverit, ex quo suspicari possimus sanctum Doctorem, græcæ versionis varietatem enarrantem, in eâ fuisse sententiâ, ut crederet, non dico unum alterumve locum obscurioris esse interpretationis, adeoque aliter atque aliter reddi posse, sed, quod hic agitur, uni eidemque loco duplicem inesse sensum litteralem. Illud asseverare non dubito, neminem, qui sine præjudicatâ opinione Hieronymi in vetus Testamentum commentarios legerit, ex animi sui sententiâ judicaturum esse, ideo sanctum Doctorem Septuaginta-viralem versionem, sicubi a suâ discrepat, interpretatione exposuisse, quod persuasum haberet multiplicem passim sub iisdem hebraicæ Scripturæ verbis latere aut latere posse sensum litteralem.

(1) In Isaiam Lib. X, in principio.

§ 4. *Ex verbis S. Gregorii Magni* (1).

Plerumque, ait sanctus Doctor, *in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, ut, dispensante mirabiliter Deo, multipliciter exponatur.*

Ad hæc respondeo : S. Pontificis mentem minime assequi qui velint ea verba dicta esse de Sacræ Scripturæ locis quæ habeant multiplicem sensum litteralem ; nam ex contextâ oratione evidentissime constat sanctum Gregorium in allato loco minime loqui de istiusmodi *obscurioribus Sacræ Scripturæ dictis*, quæ in duas pluresve sententias ad litteram accipi debeant, sed de iis quæ ambigua sunt, ut nescias utrum uno potius an altero modo sint capienda.

Scilicet in interpretando Ezechielis vaticinio Gregorius ad eum locum pervenerat, ubi dicitur (Ezech. Cap. 3, v. 12, 13) : *audivi post me... vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram.* Fatetur autem sanctus Doctor se nescire, utrum Propheta velit dicere animal *quodque seipsum* alis suis percutere, an contra alis suis *mutuo se* animalia ferire. Manifestum erat, quod operæ pretium erit hic observasse, utrumque simul verum esse non posse, adeoque nec a Prophetâ potuisse dici. Nam si animal quodque alis suis *seipsum* percutiebat, procul dubio non poterat alis suis simul ferire *aliud animal.* Ergo, ut dixi, anceps hærebat sanctus Gregorius, nec sat sciebat utro potius modo obscurum hunc locum interpretaretur. Quum vero in eâ esset sententiâ, ut crederet *plerumque in sacro eloquio ideo aliquid obscure dici, ut, dispensante mirabiliter Deo, multipliciter exponatur*, promittit auditoribus suis se alarum hanc, quam Propheta memorat, concussionem, pro utroque intelligendi modo, tropologice expositurum. Locum integrum hic subjicimus :

« *Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram.* » *Audit post se Propheta...* vocem alarum animalium... *Sed est in his verbis magna dubitatio ; quia non aperte per Prophetam dicitur utrum unumquodque animal alas suas in semetipsis percutiat* (2), *an certe hæc eadem sancta animalia alis suis se vicissim*

(1) Vid. supra pag. 18.
(2) In nonnullis Codd. Mss. legitur : *alis suis semetipsum percutiat.*

feriant, ut ala hujus alterum, et ala alterius istud animal tangat. Sed quia plerumque in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, ut, dispensante mirabiliter Deo, multipliciter exponatur, nos caritati vestræ utraque exponere, largiente Domino, debemus. Sæpe jam alas animalium virtutes diximus esse Sanctorum. Quomodo ergo unumquodque animal alas suas excutiens, alteram ad alteram percutit? nisi quod aperte datur intelligi, qua (quod?) si sancta animalia efficimur, virtus in nobis virtutem excitat, dum una alteram ad perfectionem pulsat... Sin vero, ut præfati sumus, vicissim se alis suis animalia feriunt, et altera ad alteram ala percutitur singulorum, hujus quoque descriptionis, largiente Domino, sensus patet. Quid est ergo quod hæc pennata animalia vicissim alas alteram ad alteram feriunt, nisi quod omnes Sancti se invicem suis virtutibus tangunt, et sese ad provectum excitant ex consideratione virtutis alienæ.

Ex quibus profecto patet, patronos multiplicis sensûs litteralis defensorem suæ causæ appellare non posse sanctum Gregorium; quod erat probandum.

§ 5. *Ex verbis S. Leonis* (1).

In Christo Jesu filio Dei, ait sanctus Leo, *non solum ad divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est per Prophetam : Generationem ejus quis enarrabit.*

Si divinæ Scripturæ interpretem hic ageret sanctus Pontifex non concionatorem, esset profecto cur facilius crederem eum reapse sensisse, Isaiam voluisse uno *generationis* vocabulo exprimere Christi ortum tam divinum quam humanum; ex quo arguere quis posset sanctum Doctorem putasse uni eidemque Sacræ Scripturæ dicto duplicem nonnumquam subjectam esse notionem, utramque litteralem. Quum vero non agat interpretem sed concionatorem, non video quid obstet quominus subdubitem an non eâ ratione tantum sanctus Leo putaverit propheticum illud effatum spectare ad utrumque Christi ortum, quatenus id quod *proprie tantum* de æternâ verbi ori-

(1) Vid. supra pag. 18.

gine ex Patre a Prophetâ *dictum* crederet, id existimaret aptissime *accommodari* etiam posse ad nativitatem Christi ex B. Virgine, quum etiam hanc, utpote naturæ vires superantem, nullus homo enarrare possit. Crescit vero mea dubitatio, quando animum adverto ad ea quæ idem sanctus Pontifex de eodem Isaiæ effato alibi dixit: *Quia Domini Salvatorisque nostri nativitas*, inquit, *non solum secundum Deitatem de Patre, sed etiam secundum carnem de matre, ita facultatem humani excedit eloquii, ut merito ad utramque referatur, quod dictum est:* generationem ejus quis enarrabit, *in eo ipso, quod digne non potest explicari, semper exuberat ratio disserendi* (1). Si sanctus Doctor putasset Prophetam uno *generationis* vocabulo expressisse utramque Verbi, ut ipse vocat, *nativitatem*, non sine ratione mihi dicere videor, eum aliter fuisse locutum; scilicet dixisset: *Quia Domini Salvatorisque nostri nativitas non solum secundum Deitatem de Patre, sed etiam secundum carnem de matre, ita facultatem humani excedit eloquii,* UT MERITO DE UTRAQUE DICTUM SIT: *generationem ejus quis enarrabit*, etc. — Nam quod ipse dicit: *ut merito* AD UTRAMQUE REFERATUR, QUOD DICTUM EST, id, meâ quidem sententiâ, non inepte quis ita intellexerit, ut existimet sanctum Doctorem hoc tantum voluisse, scilicet Isaiæ effatum, quod *proprie* respicit ortum Verbi ex Patre per æternam generationem, merito tamen *accommodari* ad *nativitatem ejus secundum carnem de matre*, quum etiam hanc originem nemo enarraverit.

Ego certe non putem prudenter affirmari posse, sanctum Leonem sensisse cum patronis multiplicis sensûs litteralis. Nam quale argumentum ex scriptis S. Doctoris universis eruere tandem potuerint, vidimus; atqui nullo alio argumento de ejus mente constat. Accedit, multiplicem illum Scripturæ sensum litteralem cæteris sanctis Patribus fuisse ignotum, ut patebit; quare et sancto Leoni eumdem ignotum fuisse censendum est, quum non sat firmum suppetat argumentum, quod aliter sentiendum nobis esse suadeat.

(1) S. Leonis op. Serm. 30. Cap. I. T. I. p. 106. ed. Baller.

§ 6. *Ex verbis S. Augustini.*

Animadverterat Augustinus (1) Sacram Scripturam dicere (Gen. 1, 1) : *in principio creavit Deus cœlum et terram*, sed non commemorare quoto die hæc a Deo facta sint. Dicit autem se *sentire* (2) nomine *cœli* indicari *creaturam spiritualem*, et *terræ* nomine *materiam informem;* duo autem hæc ita a Deo fuisse condita, ut *naturâ essent temporis expertia* seu *non haberent quo tempori subderentur* (3), atque hanc ob causam *sine commemoratione dierum* Scripturam dicere : *In principio creavit Deus cœlum et terram* (4).

Tum loquentes introducit (5), qui fatentur quidem hæc duo *per se* vera esse (6), sed negant (7) hoc Moysem exprimere voluisse scribendo : *In principio creavit Deus cœlum et terram.*

Deinde strictim attingit Augustinus varias horum verborum interpretationes a suâ diversas (8). Post hæc dicit nolle se contendere cum iis, qui aliter ac ipse hunc Geneseos locum explicandum esse putent (9). *Quid mihi obest,* inquit, *si aliud ego sensero quam sensit alius eum sensisse qui scripsit? Omnes quidem qui legimus, nitimur hoc indagare atque comprehendere, quod voluit ille quem legimus. Et cum eum veridicum credamus, nihil quod falsum esse vel novimus vel putamus, audemus eum existimare dixisse. Dum ergo quisque conatur id sentire in Scripturis sanctis, quod in eis sensit ille qui scripsit, quid mali est si hoc sentiat, quod tu Lux omnium veridicarum mentium ostendis verum* (10)

(1) Confessionum Lib. XII. Cap. IX. cf. etiam cap. XIII.

(2) Ibid. Cap. XIII. cf. etiam Cap. IX.

(3) Ibid. Cap. IX et XII.

(4) Ibid. Cap. IX, XII et XIII.

(5) Ibid. Cap. XV.

(6) Scilicet : *et* creaturam spiritualem a Deo conditam esse informemque materiam, *et* neutram subditam fuisse tempori.

(7) Ibid. Cap. XVII.

(8) Ibid. Ibid.

(9) Ibid. Cap. XVIII.

(10) Probè tenendum est Augustino in totâ hâc disputatione *aliud* esse quærere an *per se verum sit* id quod quis ex verbis Sacræ Scripturæ intellexerit, *aliud* verò, an id quod *per se verum est* ipsum *illud verum* sit, quod scriptor sacer verbis suis voluit exprimere. Deo auctori tribuit Augustinus

esse, etiamsi hoc non sensit ille quem legit, cum et ille verum, nec tamen hoc senserit (1)?

Mox Augustinus recenset ea quæ *secundum veritatem* affirmari possunt de rerum creatione (2), ac dicere pergit (3), ex his omnibus *veris*, quæ exposuit, unum interpretem hoc, alium illud credere a Moyse fuisse expressum; et præclarâ distinctione usus, *aliter*, inquit, *quærimus de creaturæ conditione quid verum sit, aliter autem quid in his verbis Moyses intelligere lectorem auditoremque voluerit* (4)... *Accedamus simul* (ego Augustinus qui ita hunc Geneseos locum interpretor, et illi qui eum aliter explicandum esse velint, nihil tamen *per se falsi* ex eo exsculpunt) *ad verba libri tui, et quæramus in eis voluntatem tuam per voluntatem famuli tui, cujus calamo dispensasti ea* (verba) (5). *Sed quis nostrûm*, ita loqui pergit, *sic inveniet eam* (scilicet *Dei voluntatem*, hoc est, verum sensum verborum obscurioris, Augustino judice, istius Geneseos loci, nam de hoc perpetuo loquitur) *inter tam multa vera* (6), *quæ in illis verbis aliter atque aliter intellectis occurrunt quærentibus, ut tam fidenter dicat hoc sensisse Moysem atque hoc in illâ narratione voluisse intelligere, quam fidenter dicit hoc verum esse, sive ille hoc senserit, sive aliud* (7)? *Quod autem contendunt*, ita porro scribit sanctus Doctor, *non hoc sensisse Moysen quod ego dico, sed quod ipsi dicunt, non amo; quia etsi ita est, tamen ista temeritas non scientiæ sed audaciæ est* (8).

quodcumque *verum*, quod quis ex Sacræ Scripturæ verbis intelligit, licet non percipiat *illud verum* quod Scriptura vult dicere. Docet autem omni conatu id lectori agendum esse ut *perveniat ad voluntatem* Sacri Scriptoris (Lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 27), hoc est, ut *illud verum* percipiat quod sacer scriptor exprimere sibi proposuit; si verò accideret ut a mente ejus aberraret, dolendum id quidem, dicit Augustinus, attamen *nihil mali* (Confess. Lib. XII. Cap. XVIII), *nihil periculi* (Lib. 3. de Doctrinâ Christ. cap. 27), ait, lectori inde procreari, modo *rectæ fidei non refragetur* id quod ex Sacræ Scripturæ verbis falsò *exsculpsit*. (Ibid.)

(1) Ibid. Cap. XVIII.

(2) Ibid. Cap. XIX.

(3) Ibid. Cap. XX.

(4) Ibid. Cap. XXIII.

(5) Ibid. Ibid.

(6) Mendose in nonnullis editionibus legitur: *inter tam multa verba.*

(7) Ibid. Cap. XXIV.

(8) Ibid. Cap. XXV.

Sed jam hoc peto : si sanctus Augustinus, ut volunt viri clarissimi quibuscum contendimus, reverâ pro certo habuit eisdem Sacræ Scripturæ verbis multiplicem passim subjectam esse notionem, quare hoc non objecit suis adversariis, qui ejus interpretationem dictitabant esse falsam, suam contra solam prædicabant veram? Nam ita lis, sine tantis verborum ambagibus, brevi fuisset sedata. *Unum et eumdem Scripturæ locum habere nonnumquam plures sensus litterales, doctrina*, inquiunt (1), *Augustini est.* Ita-ne vero? Cur ergo hoc non docet in prolixâ illâ disputatione, quam exhibet Confessionum ejus liber duodecimus? Erat enim ibi huic doctrinæ, ut mihi quidem videtur, locus plane opportunus. Et cur, quæso, in suis *De Doctrinâ Christianâ* libris, ubi deditâ operâ agit de Sacrarum Scripturarum interpretatione, de litterali sensu multiplici ne verbum quidem habet? Qui fit ut patroni multiplicis sensûs litteralis nullum Sacræ Scripturæ locum indicare potuerint, quem sanctus Doctor affirmaverit, non dico aliter atque aliter explicari posse, sed, quod hic agitur, in duplicem aut multiplicem sententiam esse accipiendum? Scire cupio quid patroni multiplicis sensûs litteralis ad hæc respondeant.

Quod vero attinet ad verba Augustini, quæ nobis objiciunt, hæc eo tantum valere posse videntur, ut probent sanctum Doctorem existimasse *pie credi posse* divinarum Scripturarum plures quam unum hic illic litterales esse intellectus. Hoc vero an reapse ita sit, affirmare non audet, sed de re dubitat.

Age vero ipsum audiamus, recitando paulo copiosius verba quæ nobis ex ejus scriptis ab adversariis primo loco opponuntur. *Cum alius*, inquit, *dixerit*, *hoc sensit* (Moyses) *quod ego; et alius, immo illud quod ego, religiosius me arbitror dicere, cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis* (2) *videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? Ego certe... si ad culmen auc-*

(1) Cf. Leonh. Coquæus in notis ad libr. XI. cap. XIX de Civit. Dei.
(2) Scil. in verbis Genes. I, 1.

toritatis aliquid scriberem (1), *sic mallem scribere*, *ut quod veri quisque de his rebus* (2) *capere posset*, *mea verba resonarent*, *quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem*, *ut excluderem ceteras*, *quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque Deus meus tam præceps esse*, *ut hoc illum virum de te meruisse non credam. Sensit ille omnino in his verbis atque cogitavit*, *cum ea scriberet*, *quidquid hic veri potuimus invenire*, *et quidquid nos non potuimus*, *aut nondum possumus*, *et tamen in eis inveniri potest* (3). —

Peto, nonne dubitantis hæc sunt verba? siccine loquitur qui vult edocere rem quam pro certâ habet? Ergo, quod affirmant, Augustinum docuisse *unum eumdemque locum Scripturæ habere nonnumquam plures sensus litterales* (4), id quidem falso asseritur; hoc tamen concedi potest, scilicet sanctum doctorem aliquando sensisse nullam istorum verborum Geneseos interpretationem esse excludendam, modo *in se* nihil falsi contineat; *fieri enim potuisse* ut scriptor sacer per verba : *in principio creavit*, etc., multiplicem sensum litteralem exprimere voluerit.

(1) Quid per hæc sibi velit Augustinus plenissime cognoscitur ex Confess. lib. XII. Cap. 26, quem locum hic subjicimus : « Deus meus, celsitudo » humilitatis meæ!.. quoniam tu mihi præcipis ut diligam proximum meum » sicut me ipsum, non possum minus credere de Moyse fidelissimo fa» mulo tuo, quam mihi optarem ac desiderarem abs te dari muneris, si » tempore illo natus essem, quo ille, eoque loco me constituisses, ut per » servitutem cordis ac linguæ meæ, litteræ illæ dispensarentur, quæ tanto » post essent omnibus gentibus profuturæ, et per universum orbem tanto » auctoritatis culmine omnium falsarum superbarumque doctrinarum verba » superaturæ. Vellem quippe, si tunc ego essem Moyses, (ex eodem nam» que massâ omnes venimus; et quid est homo nisi quia memor es ejus?) » vellem ergo, si tunc ego essem quod ille, et mihi abs te Geneseos liber » scribendus injungeretur, talem mihi eloquendi facultatem dari, et eum » texendi sermonis modum, ut neque illi qui nondum queunt intelligere » quemadmodum Deus creat, tamquam excedentia vires suas dicta re» cusarent, et illi qui hoc jam possunt, in quamlibet veram sententiam » cogitando venissent, eam non prætermissam in paucis verbis tui famuli » reperirent; et si alius aliam vidisset in luce veritatis, nec ipsa in eisdem » verbis intelligenda deesset. »

(2) Scil. de ortu creaturæ spiritualis, etc.

(3) S. Aug. Confession. Lib. XII. Cap. 31.

(4) Cf. Leonb. Coquæus loc. cit.

Sed quo melius constet de mente sancti Doctoris, juvabit animum advertisse ad ea quæ scripsit Libro I de Genesi ad litteram Cap. 18 et 19. *In rebus obscuris*, inquit, *atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quæ possint salvâ fide, quâ imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut, si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus, non pro sententiâ divinarum Scripturarum, sed pro nostrâ ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est; cum potius eam, quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus. Ponamus enim in eo quod scriptum est :* dixit Deus fiat lux et facta est lux, *alium sensisse lucem corporalem et alium spiritualem* (1). *Esse spiritualem lucem in creaturâ spirituali, fides nostra non dubitat; esse autem lucem corporalem cœlestem aut etiam supra cœlum vel ante cœlum, cui succedere nox potuerit, tamdiu non est contra fidem, donec veritate certissimâ refellatur. Quod si factum fuerit, non hoc habebat divina Scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia. Si autem hoc verum esse certa ratio demonstraverit, adhuc incertum erit, utrum hoc in illis verbis sanctorum librorum scriptor sentiri voluerit, an aliud aliquid non minus verum. Quod si cætera contextio sermonis non hoc eum voluisse probaverit, non ideo falsum erit aliud, quod ipse intelligi voluit* (2), *sed et verum et quod utilius cognoscatur. Si autem contextio scripturæ hoc voluisse intelligi scriptorem non repugnaverit, adhuc restabit quærere, utrum et aliud non potuerit. Quod si et aliud potuisse invenerimus,* INCERTUM *erit quidnam eorum ille voluerit : et utrumque sentiri voluisse* NON INCONVENIENTER CREDITUR, *si utrique sententiæ certa circumstantia suffragatur.* —

Ergo ex Augustini doctrinâ, si qua Scripturæ verba, non repugnante oratione contextâ, in unam atque alteram sententiam accipi possunt, *incertum* erit utram sacer auctor exprimere voluerit, et *utramque* voluisse non INCONVENIENTER credideris; hoc est, si id reapse factum esse credas, nihil credideris

(1) Vocabulum *Lux* sumitur hic in sensu litterali proprio et metaphorico.

(2) In nonnullis Codd. legitur *non voluit;* et rectiùs hoc; nam contexta oratio negationem hic omninò postulat.

quod in sui conceptu habeat quod obstet quominus *potuisset* id fieri, si id Spiritui Sancto placuisset; non dicit Augustinus: CONVENIENTER creditur, sed NON INCONVENIENTER, quod operæ pretium erit observasse.

Itaque, ni fallor, ex iis Augustini verbis, quæ primo loco objecta nobis fuerunt, nequaquam recte conficitur eum docuisse, *unum et eumdem locum Scripturæ nonnumquam habere plures sensus litterales.*

Videamus porro an ad probandum firmiora sint quæ præterea ex sancto Augustino adducuntur; et judicent quibus evulsa ex animo est omnis de re præjudicata opinio.

Docuerat Augustinus (lib. 3. de Doctr. Christ. Cap. XXVI), obscuriora Sacræ Scripturæ loca elucidanda esse ex iis quæ sunt magis perspicua; deinde pergit dicere : *Quando autem ex eisdem Scripturæ verbis, non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi latet quid senserit ille qui scripsit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis Sanctarum Scripturarum doceri potest; id tamen eo conante qui divina scrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniatur auctoris, per quem Scripturam illam Sanctam operatus est Spiritus, sive hoc assequatur, sive aliam sententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exsculpat, testimonium habens a quocumque alio loco divinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eisdem verbis, quæ intelligere volumus, et ipsam sententiam* FORSITAN *vidit; et certe Dei spiritus, qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione prævidit; imo ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixa, providit. Nam quid in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina contestantia faciant approbari?*

Damus adversariis, etsi non certo de re constet, damus tamen sanctum doctorem ibi loqui de sensu litterali, seu de pluribus eadem verba *ad litteram* intelligendi modis.

Atqui, dicat quis, Augustinus ait : *ille quippe auctor in eisdem verbis, quæ intelligere volumus,* ET *ipsam sententiam forsitan* VIDIT ; jam vero dicendo : ET *ipsam sententiam,* supponit saltem duplicem eisdem verbis subjectam esse posse notionem.

Nolumus disputare utrum duo hæc : *in verbis eisdem dupli-*

cem VIDERE *notionem*, et, *iisdem verbis duplicem* SUBJICERE *notionem*, unum atque idem sint. Id concedamus. Ergo quum S. Augustinus dicat : ET *ipsam sententiam* FORSITAN *vidit*, ponit, fatemur, *fieri posse* ut aliquis Sacræ Scripturæ locus saltem duplicem habeat sensum litteralem. Sed quid inde? non negamus sanctum Doctorem sensisse id *fieri posse*, sed hoc negamus quod illi affirmant, scilicet, *doctrinam Augustini esse, unum et eumdem locum Scripturæ habere nonnumquam plures sensus litterales* (1).

Objiciat quis, ex illâ dubitandi particulâ *forsitan* arripi non posse argumentum, quum Augustinus hic non loquatur nisi universe de aliquo Sacræ Scripturæ loco, qui alio atque alio sensu ad litteram intelligatur; de quali loco recte dicere potuit auctorem sacrum in eo *forsitan vidisse* et unum et alium sensum; nec tamen hoc dicendo eo ipso expressit se *absolute dubitare* an Sacra Scriptura, universe loquendo, multiplicem passim habeat sensum litteralem.

Reponimus, animadversionem hanc nihil juvare adversarios. Fatemur Augustinum non quidem significare eo ipso se de hoc dubitare, sed advertimus eum non magis eo ipso exprimere se de hoc *non* dubitare; nam qui dubitat an Sacra Scriptura multiplicem passim habeat sensum litteralem, si idem dicat de hoc vel illo loco, qui alio atque alio sensu intelligatur, scriptorem sacrum *forsitan* exprimere voluisse et unum et alium, in logicam nihil peccat. Quæ quum ita sint, noli credere affirmantibus *doctrinam Augustini esse, unum et eumdem locum Scripturæ habere nonnumquam plures sensus litterales.* Non hoc docuit Augustinus.

Quæ præterea laudato loco leguntur Augustini verba : *Quid in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis*, hæc, inquam, ut recte intelligantur, in memoriam revocandum est quod supra jam monuimus (2), scilicet, sanctum doctorem Deo auctori tribuere quodcumque *verum*, quod quis ex Sacræ Scripturæ verbis intelligit, etiamsi non recte verba intelligat, hoc est,

(1) Cf. Leonh. Coquæus, loc. cit.

(2) Vid. supra pag. 40, in notâ subjectâ ordine decimâ.

non *illud verum* percipiat, quod Sacræ Scripturæ auctor exprimere voluit. Imo locorum obscuriorum, nam de his loquitur, *varium intelligendi modum* divinitus provisum esse affirmat, quo sensu supra (de Doctr. Christ. Lib. 2. cap. 6) dixerat : *magnifice et salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas Sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret;* et Lib. XI. cap. 19, de civitate Dei : *quamvis itaque divini sermonis obscuritas*, inquit, *etiam ad hoc sit utilis, quod plures sententias veritatis* (1) *parit et in lucem notitiæ producit, dum alius eum sic, alius sic intelligit, ita tamen ut, quod in obscuro loco intelligitur, vel attestatione rerum manifestarum, vel aliis locis minime dubiis asseratur; sive cum multa tractantur, ad id quoque perveniatur, quod sensit ille qui scripsit; sive id lateat, sed ex occasione tractandæ profundæ obscuritatis alia quædam vera dicantur, non mihi videtur ab operibus Dei absurda sententia.*

Patet, ni fallor, quod dicit Augustinus, *divinitus provisum esse ut eadem verba pluribus intelligantur modis*, id nequaquam ita explicari posse, quasi sanctus Doctor docuisset divinitus provisum esse ut iisdem verbis plures subjectæ essent notiones seu sensus litterales, quod tamen volunt adversarii, nescio quânam tandem interpretandi arte.

Superest ut dicamus, quid Alber et Patritius ad objecta Augustini loca respondeant.

Augustinus, inquit Alber, *ubi loquitur de pluribus ejusdem loci sensibus, istos non intellexit præter eorum unum veros et proprios talis loci sensus; sed tantummodo pios, charitatique erga Deum et proximum excitandæ idoneos, et nonnisi proprio ingenio in tali loco conceptos.* Quo responso non putem satisfactum iri adversariis. Ad neutrum ex objectis ab Augustino locis Alber directo respondit.

Patritius concedit Augustinum favere adversariis. Ejus verba hic recitasse operæ pretium erit. *Sententia Augustini est*, inquit Patritius, *sicut apparet etiam ex iis, quæ protulimus ex libris*

(1) *Sententias veritatis* non esse idem ac *plures sensus litterales*, ut quidam autumarunt, ex contextâ Augustini oratione patet. Quid hic *veritatem* vocet, colligi poterit ex iis quæ scripsimus supra pag. 40, in notâ subjectâ ordine decimâ.

Confessionum (Lib. XII. c. 31. vid. et Cap. 31.), *Spiritum Sanctum ita loquutum esse in Bibliis, ut unâ enuntiatione exprimeret* quidquid veri *ex eâ colligi posset. Verum, rem sic habere, demonstratio desideratur... Quæ quum ita sint, liceat nobis omni eâ reverentiâ, quâ Augustini auctoritatem sane gravissimam prosequamur oportet, ab eo hâc in re dissentire; quod temere factum nemo umquam arguere poterit, quandoquidem neque unum inter omnes veteres patres reperire sit, quem constet cum Augustino sensisse, idque ipse Augustinus prodit, dum in libris Confessionum, ubi primo suam hanc sententiam proposuit, ita loquitur, ut quid novum, recens, indictum ore alio, et sibi proprium atque a se excogitatum, eum dicere appareat manifesto, neque ut qui testis est doctrinarum a majoribus traditarum, sed ut qui privam sibique peculiarem sententiam aperit.* Hactenus Patritius, cit. op. pag. 25.

Ego vero hoc unum adversariis largiendum esse puto, scilicet Augustinum in eâ fuisse sententiâ, ut opinaretur *fieri omnino potuisse* ut Sacræ Scripturæ auctor eisdem verbis plures simul subjiceret sensus litterales, sed id ita *reapse* factum esse, Augustinus certo se credere nuspiam affirmavit.

§ 7. *Ex verbis S. Bernardi* (1).

Unus quilibet divinus sermo non erit abs re, ait, *si diversos pariat intellectus.*

Ad contextam Bernardi orationem attendamus, et statim patebit eum in laudato loco non agere nisi de vario S. Scripturam explicandi modo, deque ejus sensu, ut vocant, *accommodatitio.* Itaque verba, quæ probent sanctum Bernardum patrocinari sententiæ quam oppugnamus, desumpta sunt ex homiliâ ejus in Canticum canticorum quinquagesimâ primâ, ubi ad locum (Cap. 2. v. 5.) : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, hæc scribit : *Hoc*, inquit, *locuta est sponsa adolescentulis in sponsi absentiâ, monens eas in fide proficere et operibus bonis donec veniat, sentiens in eo fore et beneplacitum sponsi et filiarum salutem, et suam ipsius consolationem. Scio me hunc locum in libro de*

(1) Vid. supr. p. 24.

Dilectione Dei (1) *plenius explicuisse et sub alio intellectu*, POTIORI-NE AN DETERIORI, LECTOR JUDICET, *si cui utrumque videre placuerit. Non sane a prudente de diversitate sensuum judicabor, dummodo veritas utrobique nobis patrocinetur* (2), *et charitas, cui Scripturas servire oportet, eo ædificet plures, quo plures ex eis in opus suum veros eruerit intellectus. Cur enim hoc displiceat in sensibus Scripturarum, quod in usibus rerum assidue experimur? In quantos, verbi causa, sola aqua nostrorum assumitur corporum usus? Ita unus quilibet divinus sermo non erit abs re, si diversos pariat intellectus diversis animarum necessitatibus et usibus* ACCOMMODANDOS.

Ex quibus manifesto constat quod supra affirmavimus, scilicet sanctum Bernardum nequaquam loqui de multiplici sensu litterali qui uni eidemque Sacræ Scripturæ loco sit subjectus, sed tantum de variâ unum eumdemque locum interpretandi ratione, deque sensu, ut vocant, *accommodatitio*.

SECTIO SECUNDA.

PERPENDUNTUR ARGUMENTA DUCTA EX NONNULLIS SACRÆ SCRIPTURÆ LOCIS.

§ 1. *Ex libro Genesis.*

α) *Ex cap.* 1. *v.* 1.

Argumentum, quod Bukentop (3) ducit ex dictione *in principio*, plane nullum est. *Verba hæc,* inquit, *alio atque alio litterali sensu* OPTIME INTELLIGUNTUR. Demus id paulisper; quid inde contra nos probaverit? nihil prorsus. Neque enim negamus, Scripturam hic illic in aliam atque aliam sententiam ad litteram *posse* exponi; sed eam alicubi duplicem *reapse* habere litteralem intellectum ab ejus sacro Auctore intentum, hoc dicimus nullo argumento esse comprobatum. Atqui hoc docent adversarii nostri, hoc ergo probent.

(1) Videsis ejus *Tractat. de diligendo Deo* ad Haimericum, Cap. 3. in principio capitis.

(2) Hoc est: licet verba Sacri Scriptoris non rectè interpretemur, modo tamen nihil inde exsculpamus quod *in se* verum non sit.

(3) Vid. supra pag. 19.

Sed et negandum mihi est, quod affirmat Bukentop, illud *in principio,* in triplicem litteralem sensum, quem indicat, posse accipi. Ac primo quidem בְּרֵאשִׁית (*bereshith*) non significat *primò omnium;* non notat, inquam, ordinis seu seriei alicujus principium. Si hoc voluisset Moyses, scripsisset רִאשֹׁנָה (*rishona*), quæ a רִאשׁוֹן (*rishon*) inclinata forma feminina sæpe in adverbium abit, valetque *primum, prius,* ut, verbi gratia, Gen. cap. 38. v. 28, Jerem. cap. 16. v. 18 et passim alibi; vel cum præfixo בָּ (*ba*) scripsisset בָּרִאשֹׁנָה (*barishona*), quod idem notat; exempla dabunt Deuter. cap. 13. v. 10. Josue cap. 8. v 33. ut alia mittam. Vox בְּרֵאשִׁית (*bereshith*) autem nuspiam in Scripturis notat *primùm*, *prius*, *primò omnium.*

Porro falli eos, qui vocabulum בְּרֵאשִׁית (*bereshith*) interpretari velint *in filio* seu *per filium*, sanctus Hieronymus jam docuit (1); quem tamen, quod mireris, Bukentop citat tamquam unum ex tribus SS. Patribus, quos affirmat dictionem *in principio* exposuisse *in filio*, seu *per filium.*

(1) S. Hilarius (in Psalm. 2) scripserat: *Bresith verbum Hebraicum est. Id tres significantias in se habet : in principio, in capite* (cur etiam hunc litteralem sensum non adnotavit Bukentop?) *et in Filio.* Ad quæ sanctus Hieronymus (Lib. quæstion. Hebraic. in Genesim, statim ab initio libri) hæc notat : *Hilarius in expositione cujusdam Psalmi affirmat in Hebræo haberi :* in filio fecit Deus cœlum et terram, *quod falsum esse ipsius rei veritas comprobat. Nam et septuaginta interpretes, et Symmachus et Theodotion,* in principio *transtulerunt; et in Hebræo scriptum est* Bresith, *quod Aquila interpretatur* in capitulo, *et non* Baben, *quod appellatur* in filio. *Magis itaque secundum sensum quam secundum verbi translationem de Christo accipi potest.* Ex quibus profecto patet sanctum Hieronymum negasse verba Genesis (cap. 1. 1.): *in principio,* accipienda esse tamquam in sensu litterali dicta de Christo; negat enim בראשית *secundum verbi translationem* de Christo accipi posse. Sensisse tamen videtur illud *in principio* mystico quodam sensu ad Christum posse referri, quod an verum sit nec-ne, hic nihil opus est inquirere.

Nec magis advocandus erat Augustinus, quem alterum istius interpretationis patronum laudat Bukentop. Augustinus enim multum abest ut affirmet illud Geneseos *principium* de Filio Dei esse dictum. Nam postquam exposuit (1) varias istius vocabuli interpretationes, sic concludit (2) : *Sed quis nostrûm sic invenit* (3) *eam* (4) *inter tam multa vera* (5), *quæ in illis verbis aliter atque aliter intellectis occurrunt quærentibus, ut tam fidenter dicat, hoc sensisse Moysen, atque hoc in illâ narratione voluisse intelligi, quam fidenter dicit, hoc verum esse, sive ille hoc senserit, sive aliud? Ecce enim, Deus meus, ego servus tuus... ecce ego quam fidenter dico, in tuo Verbo incommutabili omnia te fecisse, invisibilia et visibilia, numquid tam fidenter dico, non aliud quam hoc adtendisse Moysen, cum scriberet:* in principio fecit Deus cœlum et terram? *Quia non sicut in tuâ veritate hoc certum video, ita in ejus mente video id eum cogitasse, cum hæc scriberet. Potuit enim cogitare : in ipso faciendi exordio, cum diceret* IN PRINCIPIO : *potuit et cœlum et terram hoc loco, nullam jam formatam perfectamque naturam sive spiritalem sive corporalem, sed utramque inchoatam et adhuc informem velle intelligi. Video quippe vere potuisse dici, quidquid horum diceretur; sed quid horum in his verbis cogitaverit, non ita video : quamvis sive aliquid horum, sive aliquid aliud, quod a me commemoratum non est, tantus vir mente conspexerit, cum hæc verba promeret, verum eum vidisse apteque id enuntiasse, non dubitem.* Hactenus sanctus Augustinus. Ex quibus profecto patet, Augustinum nequaquam *affirmasse*, dictionem *in principio* de Filio Dei esse exponendam, ut Bukentop asseverat.

Superest ex tribus SS. Patribus, quos suæ interpretationis patronos advocavit Bukentop, sanctus Ambrosius. At neque hic illi favet, quum non nisi sensu quodam mystico illud Geneseos *principium* ad Dei Filium referat. Nam post-

(1) Confession. Lib. XII. Cap. 20.

(2) Ibid. Cap. 24.

(3) Aliæ edd. *inveniet*.

(4) Scilicet *voluntatem tuam*, h. e. verum Sacræ Scripturæ sensum. Cf. Confession. Lib. XII. cap. 23.

(5) Cff. quæ scripsimus supra p. 40, in notâ ordine decimâ.

quam varias recensuit huic vocabulo subjectas notiones, ita pergit dicere (loc. cit.) : *Est etiam initium* MYSTICUM, *ut illud est :* Ego sum primus et novissimus, initium et finis..; *in hoc ergo principio, id est, in Christo, fecit Deus cœlum et terram; quia per ipsum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil.*

Verba autem Apocalypseos : *ego principium et finis*, quæ porro citat Bukentop, quid huc faciant, plane non video, quum ea verba non Deum *Filium* sed Deum *Patrem* respiciant(1).

Tandem, quod attinet ad locum Joannis (cap. 8. v. 25), hunc neque recte citavit, neque recte intellexit Bukentop. Nam in versione Vulgatâ, quemadmodum et in Græcâ veritate, ut cum sancto Hieronymo loquamur, non legitur : *ego principium qui et loquor vobis*, ut eum locum recitat Bukentop, sed ita: *principium qui et loquor vobis*, ergo sine voculâ *ego*, quod non otiosum est adnotare, ut statim patebit. Non recte, aiebam, Bukentop intellexit verba Joannis; quod ipse facile animadvertere potuisset, modo inspexisset textum Græcum, ex quo constat vocabulum *principium* non in primo sed in quarto casu esse sumendum; sic enim ibi legitur : τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Sed hæc verba alii aliter explicant. Maldonatus, excellens sane Scripturæ S. interpres, ad illud τὴν ἀρχὴν subaudit præpositionem κατὰ, eamque dictionem putat adverbialiter esse positam, ut τὴν ἀρχὴν sit idem quod ἐξ ἀρχῆς ; atque ita ejus loci sensum reddit : (*ego sum*) *id*, *quod vobis a principio loquor.* Verum nonnihil incommodi habet hæc Maldonati interpretatio; nam quum ea postulet hunc verborum ordinem : ὅ τι καὶ τὴν ἀρχὴν ὑμῖν λαλῶ, hyperbaton sane durissimum in verbis Evangelistæ agnoscere te cogit. Tum vaga videtur oràtio hæc : *sum id quod vobis a principio loquor*; nam cujus rei principium hic potissimum cogitem? Tandem, quum audio *a principio*, expecto verbum non *præsentis* sed *præteriti* tem-

(1) De hoc dubitabit nemo qui quidem usum loquendi biblicum noverit. En verba Apocalypseos : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens.* Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, λέγει ὁ Κύριος ὁ Θεὸς, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτηρ. Apoc. Cap. 1. v. 8.

poris; dicimus enim : sum id quod vobis a principio *dixi;* non vero dicimus : sum id quod vobis a principio *dico.*

Quæ quum ita esse mihi videantur, locum illum sancti Joannis mallem reddere ita : *omnino id sum, quod vobis dico* (1); scilicet τὴν ἀρχὴν, et, sine articulo, ἀρχὴν, adverbialiter notat etiam *omnino, plane, prorsus*, ut nonnullis allatis exemplis docuit Raphelius (2). Verum quidem est quod Maldonatus observat, locutionem τὴν ἀρχὴν vel ἀρχὴν in sacris litteris non occurrere in eâ significatione; sed hoc non æstimo tanti esse, ut ideo putem, quod ipse vult, rejiciendam esse eam interpretationem; quum in Evangelio S. Joannis et universe in Græcâ novi Testamenti Scripturâ non ita raro occurrant ἅπαξ λεγόμενα, quæ ab auctoribus profanis frequenter usurpata videas. Itaque quærentibus Judæis a Christo : *tu quis es?* respondet ipse : τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν hoc est; *omnino, plane id sum quod dico vobis*, scilicet *Messias promissus.*

Opponat quis : si hoc sibi voluit Christus, cur ergo non dixit : *sum* IS QUEM *me esse vobis dico.* In promptu est responsum : Christus scilicet dixerat Judæis (v. 24) : *si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro;* ubi notandum est illud *ego sum*, quod Jerosolymitano usus idiomate Christus expresserit אֲנָא הוּא (*ana hou* h. e. *ego Ille*), significare : *ego sum Messias*, sicut et contexta ejus loci suadet oratio, et omnino patet ex loco parallelo (Act. XIII. 25) : *Cum impleret Joannes cursum suum dicebat : quem me arbitramini esse* (3)*? Non sum ego, sed ecce venit post me*, etc., ubi Joannes dicendo *non sum ego*, suo idiomate dixerit לָא אֲנָא הוּא (*la ana hou* h. e. *non ego Ille*), i. e. *non sum Messias.* Nempe Judæi optime quidem intellexerant Christum, dicendo *ego sum*, affirmasse

(1) Particula καὶ (in illo ὅ, τι καὶ λαλῶ) abundat, ut in hoc Luciani, (apud Win. in Lexic.) : οὐκ οἶδα ὅ, τι καὶ λέγεις, *nescio quid dicas.* Dial. Mort. T. 1. pag. 267. ed. Reitz.

(2) Annott. in S. Script. ex Xenophonte, Polybio, Arriano et Herodoto, i. h. l.

(3) Ita legendum est cum interrogatione, ut constat ex Græco : τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι; οὐκ εἰμὶ ἐγώ.

se esse Messiam; sed quum ista verba a malitiosis etiam capi possent pro sermone quodam abrupto, quo quis dixisset *se esse*, non addendo *quis esset*, ad hunc modum maligni illi sumentes verba Christi, interrogant : *tu* QUIS *es?* quibus Jesus respondet, non repetendo quod dixerat : *ego sum* (אֲנָא הוּא), sed, ut interlocutoribus suis exprobret eos fingere se non intellexisse ejus verba, quæ tamen recte intellexerant, eisdem reponit : *omnino id sum quod dico vobis;* latet autem in eo quod dicit *id sum quod*, non vero *is sum qui*, tacita exprobratio malitiæ ipsorum, quâ verba Christi contra mentem loquentis se intellexisse simulabant.

β) ex cap. 47. v. 31.

Verba Genesis : וישתחו ישראל על ראש המטה, si Goldhagenio credas (1), litteralem sensum habent duplicem : unum, *adoravit Israel Deum conversus ad lectuli caput;* alterum, *adoravit Israel ad fastigium virgæ ejus;* quorum prior, ait, in Vulgatâ legitur, posterior in versione septuagintavirali. *Differentia autem harum versionum*, ita pergit dicere, *repeti commode potest ex diversâ ejusdem vocis Hebraicæ lectione.* Atque ita quidem Cl. Goldhagen.

Quem ego statim sic compello : at si harum versionum differentia, ut ipse tu recte dicis, commode repeti potest a diversâ ejusdem Hebraicæ vocis lectione, argumentum, quod ex eo loco ducis ad sensum litteralem multiplicem defendendum, prorsus nullum est. Nam quum eædem consonantes Hebraicæ alio atque alio modo legi nequeant, hoc est, aliis atque aliis vocalibus efferri, quin simul pro illâ vocalium varietate diversum etiam exprimatur vocabulum, manifesto consequitur, si vocabuli alicujus consonantes duo interpretes varie extulerint, ex diversâ ejus vocabuli interpretatione quam fecerint nequaquam confici posse, uni eidemque vocabulo duplicem subesse notionem; nam quod unus interpres vertit vocabulum, non idem illud est quod vertit alter. Quum ergo

(1) Vid. supra pag. 25.

Hebraicas consonantes has : ה , ט, מ, latinus interpres enuntiaverit מִטָּה (*mitta*) quæ vox *lectulum* sonat, græcus autem מַטֶּה (*matte*) quod *virgam* significat, vocabulum reddidit, græce hic, latine ille, uterque diversum. Quæ quum ita sint, quodnam tandem, quæso, ex varietate illâ interpretationis potest duci argumentum, quod ad rem faciat?

Quamquam, etiamsi uterque interpres, latinus et græcus, tres illas consonantes : ה, ט, מ, eodem modo legisset, nec sic tamen diversa eorum interpretatio Goldhagenii causam quidquam juvaret, nisi prius probasset in nullo vocabulo labi potuisse interpretem.

Opponit Goldhagen (Vid. supra pag. 25) græcam istius loci versionem ab Apostolo fuisse probatam, quum secundum eam versionem illum Geneseos locum citaverit in suâ ad Hebræos epistolâ; et porro veram esse etiam Vulgatæ interpretationem, quum Tridentini Patres eam versionem declaraverint *authenticam*.

Audio. Sed unde constat Patres Tridentinos Vulgatam versionem eo sensu declarasse *authenticam*, ut negaverint in ullo vocabulo labi potuisse interpretem? Nequaquam hoc, imo contrarium nos docent viri gravissimi; idque, quoniam locus sat opportunus est, liceat mihi hic probare aliquanto uberius.

Audiatur primum Andreas Vega, qui Tridentino Concilio interfuit. Is de editione Vulgatâ disputans (1) : *Synodus*, inquit, *non approbavit menda, quæ linguarum periti et in sacris litteris mediocriter versati in eâ deprehendunt; approbavit dumtaxat vulgatam editionem repurgatam a mendis, quæ vitio scriptorum vel chalcographorum in eâ obrepserunt; nec eam tamquam e cœlo delapsam adorari voluit; interpretem illius, quisquis ille fuerit, sciebat non fuisse prophetam; nec nos meruisse hactenus quemquam, qui eodem in omnibus spiritu sacras litteras a propriâ et nativâ linguâ in alienam linguam transfuderit; ac proinde neque cohibuit, nec cohibere voluit studiosorum linguarum industriam,*

(1) Lib. XV. in Conc. Trid. Cap. IX. apud Marianam infra pag. 57. citandum.

qui aliquando docent melius potuisse aliqua verti, et uno eodemque verbo vel plures nobis suggessisse Spiritum Sanctum sensus, vel certe alios commodiores, quam e Vulgatâ editione possint haberi. Sed in honorem vetustatis et honoris, quem ei jam a multis annis detulerant Concilia Latina quæ sunt eâ usa, et ut certò scirent fideles, quod et verissimum est, nullum inde haberi posse perniciosum errorem, et tuto illam et citra periculum posse legi; ad coercendam etiam confusionem quam affert multitudo translationum, et temperandam licentiam nimiam cudendi semper novas translationes,— sapienter statuit, ut istâ uteremur in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus. Atque eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset nullo eam fœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi possit, atque ideo adjecit: ne quis illam quovis prætextu rejicere auderet. Et hanc fuisse mentem Synodi, neque quicquam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis et ex aliis consuetis approbationibus Concilii potes colligere. Et ne dubites de his, verissime possum tibi allegare amplissimum Dominum sanctæ crucis Cardinalem (Cervinum), *de pietate et de litteris et de studiosis omnibus optime meritum, qui illi sessioni et aliis omnibus præfuit, ac pridie quidem quam illud decretum firmaretur, et postea non opinor semel mihi testatus est, nihil amplius voluisse Patres firmare. Itaque nec tu, nec quispiam alius propter hanc approbationem Vulgatæ editionis impeditur, quo minus ubi hæsitaverit ad fontes recurrat, et in medium proferat quidquid habere potuerit quo juventur Latini, et Vulgatam editionem ab erroribus repurgent, et quæ sensui Spiritus Sancti et ipsis fontibus sunt magis consentanea assequantur.*

Audiatur et Mariana : *Disputatio est*, inquit, *de veritate editionis Vulgatæ, an locis omnibus credere debeamus interpretem veram significationem singularum vocum græcarum hebraicarumve secutum fuisse... Plerique nefas putant falsum interpreti adscribere quâcumque in parte. Alii neque minori numero neque auctoritate contra tendunt, neque de minimis, quæ ad mores et dogmata non spectant, magnopere referre putant, utrovis modo sentiatur. Hæc enim ad quæstiunculas divinæ legis pertinere putant, de quibus liberum esse judicium Vincentius Lerinensis ait.*

Hactenus Mariana (1). Qui deinde recitat verba Vegæ, quæ modo dabamus. Post quæ ita pergit : *Nobis idem sciscitantibus Romæ, cum ibi theologicas scholas explicaremus, non aliud responsum dedit Jacobus Lainez, nostri tum ordinis Præpositus generalis, pietatis studiis, eruditionis opinione, morum suavitate atque ingenii candore mirabili, quem honoris causâ nominare volui, et quoniam concilii Tridentini magna pars fuit, quippe cui plurimum a cæteris Patribus deferebatur, et omnibus actionibus interfuit.* Ex quibus patet, Jacobum Lainez de mente Patrum Tridentinorum in declarandâ authentiâ Vulgatæ idem testatum esse, quod testantur Cervinus et Vega.

Plerique doctores catholici, ait Natalis Alexander, *fatentur errores in Vulgatâ Latinâ versione, quam illi Hieronymi esse volunt, non tantum fuisse ante Concilii Tridentini decretum, sed etiam post Sixti V et Clementis VIII emendationes, idque non tantum Typographorum sed et interpretis vitio* (2).

In eamdem sententiam loquitur Gabriel Fabricy, vir eruditissimus : « *Les plus célèbres Théologiens*, inquit, *partent de ce principe, que le Concile de Trente a déclaré notre Vulgate simplement authentique en ce qui concerne la foi et les mœurs. Rien n'est plus commun, ni mieux établi que cette doctrine : on la trouve répandue et rebattue dans nos livres de controverses, dans nos éléments de Théologie, dans nos Prolégomènes et nos Commentaires sur la Bible. Après tant d'excellentes dissertations qui prouvent si bien ce principe, il semble qu'on ne devrait point en faire désormais une question. Si autrefois et même de notre temps l'on en est venu jusqu'à taxer d'hétérodoxes et d'irréligieux ceux des Théologiens et des critiques qui ont entendu et expliquent avec raison le décret du Concile d'une authenticité simplement relative aux dogmes et à la morale, et non d'une authenticité absolue et universelle, ce sont là des excès que la saine Théologie condamne.... Comment le Concile eût-il pu déclarer cette Vulgate absolument exempte de moindres fautes de copistes ou de traducteurs dans tous ces endroits qui sont indépendants de la*

(1) Jo. Marianæ e Soc. Jesu Tractatus VII. Coloniæ Agrippinæ 1609. Vide Tract. 2. *Pro editione Vulgatâ* Cap. XXI. pag. 100 et sqq.

(2) Histor. Eccles. sæc. IV. Dissert. 39. art. 3.

foi et des mœurs? Pour prononcer là-dessus un jugement éclairé et raisonnable, il eût été nécessaire de collationner exactement cette édition avec les originaux mêmes, avoir de bons exemplaires et de cette édition et de ces textes originaux. Il n'y avait qu'une telle voie pour s'assurer que la Vulgate était parfaitement conforme à ces textes. Le Concile n'a point fait ces sortes d'opérations qui étaient indispensables, mais très difficiles à pratiquer dans un Concile général. Il n'a donc pu ni dû déclarer la Vulgate authentique dans tous ses points, sans partage, sans exception, sans restriction; aussi ne l'a-t-il point fait (1).

Idem hoc mihi videtur satis aperte declaratum esse in *Præfatione ad lectorem*, quæ præmittitur Vulgatæ Sixto-Clementinæ : *Propositum non fuit*, sic ibi legitur, *novam aliquam editionem* (hoc est, versionem) *cudere, vel antiquum interpretem ullâ ex parte corrigere vel emendare; sed ipsam Veterem ac Vulgatam editionem latinam, a mendis veterum librariorum nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, restituere; eâque restitutâ, ut quam emendatissime imprimeretur juxta Concilii OEcumenici Decretum, pro viribus operam dare.* Profecto, dum dicitur : *propositum non fuit antiquum interpretem ullâ ex parte corrigere vel emendare*, ponitur id *fieri potuisse*, et certe non eo sensu a Tridentinis Patribus Vulgatam declaratam fuisse authenticam, ut negaverint in ullo vocabulo labi potuisse Vulgatæ auctorem.

Didacus de Payva, in concione habitâ ad Patres in Concilio Tridentino congregatos, non dubitavit erroris arguere Vulgatæ interpretem. *Ubi Vulgata*, inquit, *lectio habet* (Ecclesiastæ cap. 2. v. 8) : coacervavi mihi substantias regum ac provin-

(1) Des titres primitifs de la révélation... par le R. P. Gabriel Fabricy, de l'ordre des FF. Prêcheurs, docteur-théologien de Casanate. Rome 1772. Tom. 2. pag. 169—171. Idem paulo ante (ibid. pag. 168) dixerat de Psalmorum versione quam Vulgata nostra exhibet : « Comme il (le Psautier) étoit déjà d'un usage universel, et qu'on ne pouvoit le changer sans causer quelque confusion dans le service public, l'Église a jugé à propos de le conserver ; parce qu'en le retenant, il n'y avoit rien à craindre pour les mœurs et pour la foi catholique, quoiqu'il ne fût pas exempt, et qu'il ne le soit pas même de nos jours, de fautes de copiste et de traducteur. »

ciarum, *Hebræa habet:* סְגֻלַּת מְלָכִים *(segullath melachim)* *id est*, selecta quæque regum. *Neque enim Salomon se jactat se omnium regum et provinciarum æraria exhausisse et compilasse; sed quidquid ubique fuit magni pretii, sibi comparasse* (1).

Scilicet Vulgatæ interpretem in minutis, et in iis quæ ad substantiam rei non pertinent, semper retulisse textus primigenios, nec uspiam hâc in re lapsum esse, *pia quidem est aliquorum sententia*, ut monet Pallavicinius, *quam tamen qui respuat minime damnatur ab Ecclesiâ* (2).

Ita plane sentiebat et Driedo noster, vir doctissimus, sacræ Theologiæ in Lovaniensi academiâ quondam professor. *Apostolica sedes*, inquit, *editionem Hieronymi vel approbavit vel acceptavit, non tamquam penitus sic consonam Scripturis in suo fonte et in omnibus sic integram, puram ac restitutam, ut non liceat ulli vel examinare illam collatione factâ ad suum fontem, vel in locis quibusdam dubitare si forsitan Hieronymus sit assecutus verum Scripturæ sensum; sed tamquam omnibus editionibus tunc factis præferendam, et in regulis fidei ac morum nusquam deviam, et tamquam quæ publice legatur et recipiatur in usum* (3).

Sed jam e diverticulo in viam. Quum ergo nihil impediat

(1) Concio habita ad Patres in Concilio Tridentino congregatos ab illustri atque reverendo Domino Didaco de Payva d'Andrade, Lusitano, sacræ theologiæ doctore, Dominicâ secundâ post Pascha anno 1562. Venetiis apud Jordanum Ziletum.

(2) « Che poi la Translazione Volgata sia conforme all' originale in tutte » le parti accidentali e minute, nè habbia traviato dalle proprietà di esso » in voltare un albero o un animale per un altro, e pia sentenza d'alcuni, » ma la chiesa non condanna chi non la segue. » Vid. Istoria del Concilio di Trento scritta dal Padre Sforza Pallavicino etc. con annotazioni di Francescantonio Zaccaria. Faenza 1793. Tom. 2. p. 135. — *Quoad errores*, inquit Jo. Perrone (Prælect. Theolog. vol. IX. edit. Lovan. in notâ paginæ 162 subjectâ), *qui rei substantiam non attingunt, utrum reipsâ nonnulli in Vulgatâ editione reperiantur, affirmant alii, alii vero negant.* Deinde citantur ab ipso auctores tum negantes tum affirmantes; sed per errorem tamquam negantes recenset affirmantes, et vicissim tamquam affirmantes nominat negantes.

(3) Operum Jo. Driedonis a Turnhout S. Theol. prof. apud Lovanienses, de ecclesiasticis Scripturis etc. libri IV. Lovanii 1556. pag. 42.

quominus dicamus Vulgatæ interpretem in re leviori interdum potuisse labi, ex eo quod vocabulum מטה reddidit, *lectulum* non continuo sequitur hanc veram esse in eo Geneseos loco vocabuli istius interpretationem (1). Quare etiam ex hoc capite infirma est Goldhagenii argumentatio. Cæterum græcam istius loci versionem latinæ præstare censebat Joannes Hasselanus, in Lovaniensi academiâ quondam Sacræ Scripturæ interpres; memoriæ id prodidit Gulielmus Estius; Comment. in Ep. ad Hebr. Cap. XI. v. 21.

Goldhagen inter *rationes*, ut dicit, *conglobatas* ad probandam Vulgatam etiam in levioribus ad fidem et mores non attinentibus censendam esse emendatissimam, adducit *Responsum* aliquod, quod editum sit a Congregatione Cardinalium interpretum decretorum Tridentini Concilii, in quo responso dicitur : *Nihil posse asseverari, quod repugnet Vulgatæ editioni, etiam quod esset sola periodus, sola clausula, vel membrum, sive vox, sive dictio sola, vel syllaba jotave unum.* Verum *aut commentitium est*, ait Branca, *hujusmodi decretum, quod nullæ nisi transalpinæ editiones quædam privatâ fide ex variis privatorum schedis, aliæ aliter collectæ, hocque etiam uno suspectæ, protulerunt; aut expers auctoritatis, quod ex alicujus e Cardinalibus eorumque anagnostis vel theologis parata scripto sententia (quale ego in hanc rem ipsam nonnihil olim in Ms. quodam vidi) fortasse excerptum; neque vel totius Concilii (congregationis), vel, ut opus est, summi Pontificis auctoritate firmatum* (2).

(1) Introduct. in S. Script. Part. 1. Sect. 2. quæst. 10. Argum. 3.

(2) Branca, de sacr. libr. latin. Vulg. edit. auctoritate. Lib. 1. C. 1. p. 31. citat. a Joseph. Brunati prof. in semin. Brixiensi, *De nomine, auctore, emendatoribus et authentiâ Vulgatæ.* Viennæ 1827. pag. 76. Cff. etiam Serarii Proleg. Bibl. Cap. XIX. Quæst. XI. a fine.

§ 2. *Ex Psalmo II.*

Verba Prophetæ (Ps. 2. v. 7): *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, tamquam præcipuum aliquod argumentum afferunt omnes, qui litteralem in Scripturis sensum passim multiplicem esse defendunt. Affirmant hæc verba ab Apostolo adduci ut probet: 1° Christum esse Dei filium (ad Hebr. cap. 1. v. 5); 2° æternum ipsi a Deo Patre concessum fuisse sacerdotium, (ibid. cap. 5. v. 5.); et 3° ipsi, devictâ morte, in vitam fuisse redeundum (Act. ap. cap. 1. v. 1.); indeque concludunt verba *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, triplicem habere sensum litteralem.

Si ergo demonstravero eum Psalmi locum non afferri ab Apostolo ad probandum, *aut* Christo a Deo Patre collatum fuisse sacerdotium, *aut* ipsi a morte in vitam fuisse redeundum, causam meam vicero; hoc ergo probare conabor.

Ac primo quidem nego ea verba adduci ab Apostolo, ut ex iis probet Christo a Deo Patre collatum fuisse sacerdotium. Locum Pauli quem adversarii ad hoc firmandum adducunt ob oculos ponamus. *Christus*, inquit Apostolus, *non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret* (h. e. non ipse sibi tribuit honorem pontificatûs), *sed* (Pontificem eum fecit) *qui locutus est ad eum* (Psalm. II. v. 7): FILIUS MEUS ES TU, EGO HODIE GENUI TE; *quemadmodum et in alio loco dicit* (Psalm. CX. v. 1): TU ES SACERDOS IN ÆTERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH.

Concedo posteriorem e Psalmis locum ab Apostolo adduci ad probandum Christi sacerdotium; sed de priori illud nego.

Rev. P. Patritius æque ac nos negat Apostolum ex iis Psalmi II verbis probare voluisse Christi sacerdotium. *Paulus*, inquit (1), *loquens de Christi sacerdotio, nequaquam hæc verba adhibet ad rem confirmandam, sed in ea veluti incidit, quod legentibus facile apparet.*

Sed opponunt adversarii Apostolum, sicut Christi sacerdotium probat ex verbis: *tu es sacerdos*, etc., ita etiam ex verbis: *Filius meus es tu*, etc. eum voluisse illud probare; nam, quod

(1) Op. cit. pag. 19.

dicit : *quemadmodum* ET , hoc innuere *duo* ad eamdem rem probandam ab eo hic adduci e Scripturis testimonia.

Hic ergo nodus solvendus erat. Eum vero hoc modo solvi posse putamus : scilicet, solemne est Paulo particulam *et* (καὶ) pleonastice addere particulæ *sicut*, ut dicere frequenter soleat *sicut et* pro nudo *sicut*; subjicimus ejus rei exempla :

I Cor. Cap. VII. v. 7. Θέλω γὰρ πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτόν. (Vulg. *sicut meipsum.*)

Ibid. v. 8. ... καλὸν αὐτοῖς ἐστιν ἐὰν μείνωσιν ὡς κἀγώ. (Vulg. *sicut et ego.*)

Cap. X. v. 6. ... εἰς τὸ μὴ εἶναι ἡμᾶς ἐπιθυμητὰς κακῶν, καθὼς κἀκεῖνοι ἐπεθύμησαν. (Vulg. *sicut et illi concupierunt.*)

Ibid. v. 9. Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστὸν, καθώς καὶ τινες αὐτῶν ἐπείρασαν. (Vulg. *sicut quidam eorum.*) (1)

Cap. XI. v. 1. Μιμηταί μου γίνεσθε, καθώς κἀγὼ Χριστοῦ. (Vulg. *sicut et ego Christi.*)

Cap. XIII. v. 12. ... τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθώς καὶ ἐπεγνώσθην. (Vulg. *sicut et cognitus sum.*)

Ephes. Cap. IV. v. 17. ... μαρτύρομαι ἐν Κυρίῳ, μηκέτι ὑμᾶς περιπατεῖν, καθῶς καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη περιπατεῖ. (Vulg. *sicut et gentes.*)

Cap. V. v. 25. Οἱ ἄνδρες ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν, καθώς καὶ ὁ Χριστὸς ἠγάπησε τὴν ἐκκλησίαν. (Vulg. *sicut et Christus dilexit Ecclesiam.*)

Coloss. Cap. III. v. 13. ... καθὼς καὶ ὁ Χριστός ἐχαρίσατο

(1) Obiter hic adnotamus bis in eodem illo loco (v. 7 et v. 8) legi καθώς sine καὶ, quum tamen in his versiculis plane eadem sit locutio ac in sexto et nono. Μηδὲ, inquit v. 7, εἰδωλολάτριαι γίνεσθε, καθώς τινες αὐτῶν· et v. 8 : Μηδὲ, inquit, πορνεύωμεν, καθώς τινες αὐτῶν ἐπόρνευσαν. Ex quo evidenter constat de pleonastico illo usu particulæ καὶ post *sicut*, quem in Paulinâ oratione frequentari dicimus.

ἡμῖν, ὅτω καὶ ὑμεῖς. (Vulg. *sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.*

I ad Thessal. Cap. II. v. 14. ... ὅτι τὰ αὐτὰ ἐπάθετε καὶ ὑμεῖς ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν, καθὼς καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἰϐδαίων. (Vulg. *sicut et ipsi a Judæis.*)

Cap. IV. v. 5. ... Μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, καθάπερ καὶ τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν Θεόν. (Vulg. *sicut et gentes, quæ ignorant Deum.*)

Ibid. v. 13. ... ἵνα μὴ λυπῆσθε, καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα. (Vulg. *sicut et cæteri, qui spem non habent.*)

Cap. V. v. 6. Ἄρα ὖν μὴ καθεύδωμεν ὡς καὶ οἱ λοιποί. (Vulg. *sicut et cæteri.*)

Hebr. Cap. III. v. 2. Κατανοήσατε... πιστὸν ὄντα τῷ ποιήσαντι αὐτὸν, ὡς καὶ Μωσῆς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. (Vulg. *sicut et Moyses in omni domo ejus.*)

Cap. IV. v. 2. Καὶ γάρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι, καθάπερ κἀκεῖνοι. (Vulg. *et nobis nuntiatum est, quemadmodum et illis.*)

Cap. V. v. 4. Καὶ ὐχ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τιμὴν, ἀλλὰ ὁ καλϐμενος ὑπὸ τῦ Θεῦ, καθάπερ καὶ ὁ Ἀαρών. (Vulg. *tamquam Aaron.*)

Sufficiunt, ni fallor, quæ dedimus exempla, ad probandum particulæ καὶ post *sicut* pleonasticum usum in oratione Paulinâ. Itaque voculæ *quemadmodum et*, quas Apostolus in nostro loco adhibet, non certo demonstrant eum voluisse *duo* ad idem probandum e Scripturis adducere testimonia; adeoque cadit argumentum quod inde arripiunt adversarii ad probandum verba *Filius meus es tu*, etc., ex mente Apostoli ad Christi sa-

cerdotium esse referenda. Quum vero etiam contexta Psalmi oratio obstet quominus ea verba de illo sacerdotio intelligantur, ut infra demonstrabimus, jam certo affirmare licebit de Christi sacerdotio ibi plane non esse sermonem.

Dicat quis : Cur ergo illa verba : *Filius meus es tu* etc., ibi affert Apostolus? Respondeo, ea verba illo de quo agimus loco a Paulo adhiberi ad modum periphraseos, quâ, quum nude dicere potuisset : *non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed Deus Pater ejus eum clarificavit*, hanc sententiam per circumlocutionem sic effert : *non semetipsum clarificavit, sed is eum clarificavit qui dixit ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te;* deinde collatum sacerdotium ex S. Scripturâ probaturus addit : *sicut in alio loco* (1) ad Filium *dicit* Pater : *tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Quod ad probandam suam thesim Apostolus non *duo* e Scripturis testimonia sed tantum unum adducere voluit, id etiam inde confirmari mihi videtur, quod, postquam usus erat verbo præteriti temporis DIXIT (*qui dixit ad eum*, etc.), mox scribit in præsenti : *sicut in alio loco* DICIT.

Ex eo ergo quod verba : *Filius meus es tu*, etc. ab Apostolo afferuntur ubi de Christi sacerdotio agit, inde non recte conficiunt adversarii Apostolum ea verba habuisse pro effato prophetico de Christi sacerdotio. Atque hæc hactenus.

Venio nunc ad locum depromtum ex decimo tertio capite actuum Apostolorum, ubi eadem illa Psalmi II verba ex adversariorum nostrorum sententiâ adducantur, ad probandum fore ut Christus a morte in vitam rediret.

Contextam illius capitis orationem diligenter attendamus. Antiochiam Pisidiæ Paulus venerat, et die sabbathi Synagogam ingressus verba facit ad populares suos, eosque docet Jesum Nazarenum esse Regem Messiam majoribus promissum.

Exorditur Apostolus recolendo summa capita historiæ Israëlitarum usque ad Davidem regem (v. 16 ad 23). Deinde dicere pergit : *Hujus* (Davidis) *ex semine secundum promissionem* (κατ' ἐπαγγελίαν) *eduxit* (suscitavit, misit) *Israel* (τῷ

(1) Dicit *in* ALIO *loco*, quia modo *locum aliquem* ex S. Scripturâ adduxerat, periphrastico modo *Deum Patrem* significandi causâ.

'Ισραηλ h. e. Israelitis) *salvatorem Jesum.* Joannes, ita porro Paulus, præcursor ejus fuit, isque Jesum Nazarenum palam declaravit esse Messiam promissum (v. 24 et 25). Et addit : violentâ quidem morte sublatus est, ut prædictum erat (v. 26 ad 29), *Deus vero suscitavit eum a mortuis* (ἤγειρεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν); *qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæâ in Jerusalem* (Apostoli aliique Christi discipuli); *qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem* (οἵτινες εἰσι μάρτυρες αὐτῦ πρὸς τὸν λαὸν), h. e. eum redivivum et esse promissum Messiam prædicant. Et sicut illi Judæis in Palestinâ, ita *et nos*, inquit Paulus, nos pariter *vobis* extra Palestinam degentibus annunciamus : Deus promissionem patribus nostris factam (τὴν πρὸς τὺς πατέρας ἐπαγγελίαν γενομένην) ratam fecit nobis, posteris eorum, RESUSCITANS JESUM, SICUT ET IN PSALMO SECUNDO SCRIPTUM EST : FILIUS MEUS ES TU, EGO HODIE GENUI TE. *Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit : quia dabo vobis sancta David fidelia. Ideoque et alias dicit : non dabis sanctum tuum videre corruptionem. David enim in suâ generatione cum administrasset voluntati Dei dormivit, et appositus est ad patres suos et vidit corruptionem. Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem* (v. 30 ad 38).

Dicunt ergo adversarii verba Psalmi II, *Filius meus es tu*, etc. ab Apostolo in eâ oratione adduci ad probandum Messiam a Deo in vitam a morte fuisse revocandum; quum vero in Ep. ad Hebr. C. 1. v. 5. afferantur eadem verba prophetica ad aliud quid diversum confirmandum, hinc concludunt effato Psaltæ saltem duplicem subesse sensum litteralem.

Adversariis respondet Rev. P. Patritius : *Etsi Paulus Psaltæ testimonio illic utatur ut probet Christum revixisse, tamen non ex hoc consequitur verba Psaltæ de Christo in vitam resurrecturo dicta esse; num enim quia ex universi creatione ad demonstrandam Dei potentiam, aut ad demonstrandam misericordiam ex Jesu Christo cruci fixo argumenta petimus, ideo concludas nomini* creationi *notionem esse* potentiæ, *aut* crucifixioni *notionem esse* misericordiæ? *Sed neque Paulus, ut illud probet, Psaltæ verba usurpat, quasi is eâ de re loquatur, sed quia hujus verba continent causam rationemque, cur Christus nullo*

pacto potuerit non reviviscere. Quod si ita sit, ecquis non sentiat majus omnino pondus Pauli argumentationi advenire, quam si ipsam Christi ἀνάστασιν verba Psaltæ significarent? si enim hoc alterum foret, probasset utique Paulus Christum revixisse; at si nostra stet interpretatio, non modo revixisse probavit, sed insuper non potuisse non reviviscere. Conf. Act. Cap. II. v. 24. Hactenus Rev. P. Patritius (1).

Eodem modo respondet Alber (2) : *Quis ita cæcutiat*, inquit, *ut non videat verba*, filium esse, *non significare* factum esse sacerdotem *aut* surrexisse a morte? *Non eo minus tamen ex his verbis, quibus Christus prædicatur Filius Dei, Paulus probavit rectissime etiam alterum utrumque illud de sacerdotio et surrectione ex morte; non quasi istius significationis vis sita in verbis esset, sed quoniam istud utrumque divinæ in Christo generationis fuerit naturale consectarium : quem idcirco, ut S. Petrus dicit, impossibile fuerit teneri doloribus inferni*, Act. 2. v. 24, *propter ejus reverentiam, et qui nisi fuisset Filius Dei, nec accessum habuisset ad Deum per sacerdotium, ut hunc nobis propitium faceret. Siquidem unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* I Tim. 2. v. 5. Ita Alber.

Sed his responsis vereor ut habeant patroni multiplicis sensûs quod non sine aliquo jure opponant. Dicturi sint, ex eo quod Paulus Psaltæ verbis utitur ad probandum, ut Patritius fatetur, Messiam fuisse a morte in vitam revocandum, hinc plane consequi ea Psaltæ verba esse dicta de Christo in vitam redituro; nam sicubi viri θεόπνευστοι probare volunt divinitus aliquid fuisse prædictum, id quod afferunt effatum propheticum, nisi manifesta ratio contrarium suadeat, habendum esse pro dicto, quod *directo cadat in rem gestam*, non vero pro asserto quod tantum *per quamdam velut consequentiam in rem gestam quadret.*

Itaque putem alio modo hic esse respondendum; scilicet, meâ quidem sententiâ, negandum est verba Psaltæ *Filius meus es tu*, etc. in prædicto loco Act. Ap. a Paulo afferri ad probandum Christi reditum a morte in vitam. Vulgata quidem hoc

(1) Cit. op. pag. 19, sq.
(2) Cit. op. T. 1. pag. 58.

indicare videtur dum dicit : RESUSCITANS *Jesum*; verum illud *resuscitans* ibi nequaquam notat *actum revocandi aliquem a morte ad vitam*. Sed hoc jam diligenter probandum esse sentio. Probamus autem :

1° Ex ipso vocabulo ἀναστήσας, quo latinum illud *resuscitans* in græco textu effertur. Scilicet verbum ἀναστῆναι ubi de *revocatione in vitam* adhibetur, *vel* junctum legitur cum vocibus ἐκ νεκρῶν (*a mortuis*) (1), *vel*, ubi abest hoc, ibi contexta oratio ea est ut nihilominus nudum ἀναστῆναι de revocatione in vitam intelligere cogaris (2). Atqui neutrum obtinet in loco nostro. Non prius, uti patet; sed nec posterius; nam contexta oratio hæc est : *quam promissionem* (ἐπαγγελίαν) *Deus majoribus nostris fecerat, hanc nobis, posteris eorum, ratam fecit.* Quam vero promissionem (ἐπαγγελίαν) intelligit Apostolus? Profecto eam quam versiculo 23 expresserat, scilicet promissionem de *suscitando* (mittendo) *salvatorem Israeli* ex semine Davidis, non vero de *resuscitando a mortuis* Messiâ occiso. Hanc ergo promissionem quomodo ratam fecit? ratam fecit ἀναστήσας Ἰησοῦν, h. e. *suscitando Israelitis*, id est, mittendo ad Israelitas filium Davidis Messiam. Nonne si hic illud ἀναστήσας Ἰησοῦν vertere velis : *resuscitando Jesum a mortuis*, dixeris aliquid quod contexta oratio omnino respuit? Mihi certe sic plane videtur. Itaque illud *resuscitans* hic non notat actum revocandi aliquem a morte ad vitam, sed eum habet intellectum, quem verbum simplex *suscitare* obtinet, verbi gratiâ, in hoc Deuteronomii (Cap. XVIII. v. 15) : *Prophetam de gente tuâ et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus;* quo loco *suscitare* idem valet quod *excitare*, *mittere ad aliquem*. Atque hæc etiam est verbi ἀναστῆναι solemnis in Scripturis significatio (3).

Nec vero ego primus negavi illud *resuscitans* ad Christi in

(1) Ut in hâc ipsâ Pauli oratione, v. 34. Porro Marci IX. 9. XII. 25. Luc. XVI. 31. XXIV. 46. Joh. XX. 9. Act. X. 41. XVII. 3.

(2) Ut Marc. XVI. 9. et Act. Ap. II. 24.

(3) Hebraismus latet in ejus verbi usu. Scilicet Hebræis propheta dicitur קוּם (koum) *surgere*, et in formâ Hiphilicâ Deus dicitur הֵקִים (hakim) *suscitare*, i. e. *mittere Prophetam.*

vitam reditum esse referendum. Præiverant jam S. Ambrosius (1) et Genebrardus (2).

2° Quæ hactenus disputavimus de interpretatione vocabuli ἀναστήσας (v. 33), valide confirmantur inde, quod Apostolus versiculo proxime sequente (v. 34) de Messiâ in vitam revocando loquitur; *quod autem*, ait, *suscitavit eum a mortuis* (ἀνέστησεν ἐκ νεκρῶν), *amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit : dabo vobis*, etc. Si ergo v. 33 jam fuisset locutus de Christi in vitam reditu, ipsumque illum reditum adductâ Scripturâ jam probasset, fatendum foret Paulum inutili tautologiâ bis idem dixisse, quum manifesto constet eum trigesimo quarto versiculo egisse de Christi in vitam reditu, eumdemque ex Scripturis voluisse probare.

Fortasse non deerit qui hic mihi occurrat negando id, quod Paulus affirmat trigesimo tertio illo versiculo, omnino idem esse cum eo quod affirmat trigesimo quarto; videri enim alicui posset Apostolus in 33 versiculo dixisse nihil aliud quam Christum in vitam esse revocandum, sed in 34, crescente oratione, eum ita in vitam esse revocandum ut numquam deinceps esset moriturus.

Sed si hæc ita essent, aliter Apostolus fuisset locutus; si, inquam, per illud *resuscitans Jesum* ἀναστήσας trigesimi tertii versiculi Paulus significare voluisset Christum a Deo in vitam revocatum, ut putant adversarii, non iteratò dixisset versiculo sequenti: *Quod autem resuscitavit eum*; sed continuando

(1) *Et bene*, ait (De Fide, Lib. V. Cap. 1), *scriptum est : heri et hodie ipse est, ut Arii impietas adstruendi sacrilegii locum invenire non posset. Qui cum legeret in psalmo secundo dicentem Filio Patrem : Filius meus es tu, ego hodie genui te, adnotavit* : HODIE *non* HERI, *ad æternitatem divinæ generationis referens, quod de carnis assumptione memoratum est, sicut Paulus in actibus Apostolorum ait : Et nos vobis annuntiamus, quæ ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Dominum Jesum Christum, sicut scriptum est in psalmo secundo : Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

(2) In Psalm. 2. « Illud ἀναστήσας, inquit, illic (Act. Cap. XIII. v. 33) non *resuscitans* (a mortuis) simpliciter significat, sed *excitans*, *in lucem edens*, *ac ex utero virgineo proferens*, ut Deut. 18. v. 15 : *Prophetam vobis suscitabit Deus etc.* »

sermonem dicere perrexisset : *quod autem amplius non reversurus est in corruptionem*, etc. Porro, dicant mihi adversarii, si simplex illud *ἀναστήσας* trigesimi tertii versiculi Christi in vitam reditum notet, ut ipsi volunt, cur, mutatâ locutione, in trigesimo quarto versiculo Apostolus dicat : *quod autem resuscitavit eum* A MORTUIS ; cur, inquam, adjectum nunc illud *a mortuis?*

Est quidem incrementum aliquod in oratione Apostoli, sed non illud ut trigesimo tertio versiculo Christus dicatur *resuscitatus*, et in trigesimo quarto *non amplius reversurus in corruptionem;* verum *et* hoc *et* illud in uno illo posteriori versiculo Apostolus expressit. Ideo autem duo hæc conjunxit, quia duo citaturus èrat Sacræ Scripturæ loca, quorum uno hoc, altero illud erat comprobandum. Nam eo vaticinio quod ex Isaia profert: *dabo vobis sancta David fidelia,* præcipue probat quod postremo loco dixerat, scilicet Messiam non amplius reversurum esse in corruptionem ; altero autem quod ex XV Psalmo affert : *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, speciatim firmat quod dixerat priore loco, nempe fuisse prædictum fore ut Deus Christum in vitam revocaret.

Concludamus. Quum ergo verba Psaltæ : *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, non dicta sint de Christi sacerdotio, nec de ejus in vitam reditu, adeoque ex tribus sensibus litteralibus, quos his verbis subjiciunt adversarii, non supersit nisi unus, plane conficitur neque hunc Psalmi locum argumento esse posse, quo patroni multiplicis sensûs litteralis causam suam recte possint tueri.

Reliquum est ut inquiramus in quamnam sententiam accipienda esse videantur verba Psaltæ : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Inter sanctos Patres, quod mireris, de ejus loci interpretatione minime convenit. Nam alii (1) ea verba dicta

(1) S. Aug. in Ps. 2. i. h. l. « Quamquam, inquit, etiam possit ille dies in prophetiâ dictus videri, quo Jesus Christus secundum hominem natus est ; tamen *hodie*, quia præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantum (quia quidquid æternum est, semper est), divinitus accipitur secundum id dictum : *Ego hodie genui te*, quo sempiternam generationem Virtutis et Sapientiæ Dei, qui est unigenitus filius,

esse volunt de ortu Christi æterno, alii (1) contra de ortu ejus humano; Theodoretus (2) vero non dubitat erroris arguere qui dicant ea verba referenda esse ad eam generationem, quâ Dei Filius ab æterno genitus est a Patre. Alii (3) porro

fides sincerissima et catholica prædicat. Et S. Cyrillus Hierosolym. Catech. XI. (ed. Touttée.) pag. 151. Κύριος, inquit, εἶπε πρὸς με, υἱὸς μȣ εἶ συ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. τὸ δὲ σήμερον, ȣ πρόσφατον ἀλλ' ἀΐδιον· τὸ σήμερον ἄχρονον, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων. Ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρȣ ἐγέννησά σε. h. e. Filius ipse de Patre dicit: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te; illud *hodie* non recens, sed sempiternum; *hodie* temporis expers, ante omnia secula: *Ex utero ante Luciferum genui te.*

(1) S. Greg. Nyssen. Hom. 2. in Ecclesiasten, in principio: Σήμερον εἶπε γεγεννηκέναι, ἵνα διὰ τȣ̃ παραθεῖναι το χρονικὸν ὄνομα τῷ καιρῷ τῆς γεννήσεως, μὴ τὴν προαιώνιον ὕπαρξιν, ἀλλὰ τὴν ἐν χρόνῳ ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἀνθρώπων διὰ σαρκὸς γέννησιν παραστήσῃ ὁ λόγος. h. e. Dixit se *hodie* genuisse, ut per hoc quod tempori generationis nomen temporale adjecerit, non eam quæ fuit ante sæcula essentiam, sed eam quæ fuit in tempore ad hominum salutem per carnem generationem, verbum ostenderet.— Et S. Cyprian. Testim. adv. Jud. Lib. 2. Cap. VIII: «Quod cum a principio Filius Dei fuisset, generari denuo haberet secundum carnem, in Psalmo secundo: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.»

(2) Καὶ μὴν τὸ υἱὸς μονογενὴς ὄνομα πρὸ τῶν αἰώνων εἶχεν ὁ Θεὸς λόγος τῷ πράγματι συμφυές· ἀλλ' ὅμως ἔχων ὡς Θεὸς τὴν τȣ̃ υἱȣ̃ προσηγορίαν, λαμβάνει αὐτὴν καὶ ὡς ἄνθρωπος· διὸ καὶ ἐν τῷ προκειμένῳ Ψαλμῷ ἐπήγαγε λέγων· Κύριος εἶπε πρὸς με, υιος μȣ εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. Ταύτην δὲ τὴν φωνὴν ȣ̓κ ἄν τις τῇ τȣ̃ Θείȣ πνεύματος διδασκαλίᾳ πειθόμενος, τῇ θεότητι προσάψοι τȣ̃ Δεσπότȣ Χριστȣ̃.... ὡς ἄνθρωπος τοίνυν καὶ ταύτην δέχεται τὴν φωνὴν, ὡς ἄνθρωπος καὶ τῶν ἐπαγομένων ἀκȣ́ει· Αἴτησαι παρ' ἐμȣ̃, καὶ δώσω, κ. τ. λ. h. e. « Præterea nomen Filii unigeniti, Deus Verbum ante secula habebat connatum rei; sed tamen ut Deus nuncupationem filii habens, etiam ut homo suscipit illam. Quapropter in hoc Psalmo adjecit dicens: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hanc vero vocem nemo, qui Spiritus S. doctrinæ credat, divinitati Domini Christi applicabit... ut homo igitur et hanc vocem recipit, ut homo etiam quæ sequuntur audit: *Postula a me et dabo*, etc. Theodor. in Ps. 2.

(3) OEcumenius (in Ep. ad Hebræos, in cap 1. v. 4) σκόπει δὲ, μή ποτε μᾶλλον ȣ̎τως ἁρμόζῃ, ἄμφω μὲν εἰρῆσθαι ἐπι τȣ̃ Χριστȣ̃, το, τε υἱὸς

priorem quidem ejus effati partem, scilicet verba : *Filius meus es tu*, interpretantur de æternâ illâ generatione, alteram vero, nempe verba : *ego hodie genui te*, de ortu Christi humano dicta volunt. Nonnulli tandem existimarunt generationem in eo Psalmi loco sensu quodam metaphorico essè intelligendam; atque ita alii (1) Prophetæ verba referunt ad Christum a mortuis redivivum, alii (2) vero ad Christum in Jordane baptizatum.

Quæ quum ita sint, facile quisque videt non convenisse inter Patres de horum verborum interpretatione. Non ideo tamen putem frustra quæri de vero ejus loci intellectu. Principio quidem hoc mihi ex ratiocinio Apostoli (Ep. ad Hebr. C. 1) certo constare videtur, scilicet non posse ea Psalmi verba

μου εἶ συ, καὶ το, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε· ἀλλὰ τὸ μεν, υἱός μου εἶ, καθὸ λόγος. τὴν ἀΐδιον γὰρ διὰ του, εἶ, γέννησιν σημαίνει· τὸ δὲ, σήμερον γεγέννηκά σε, καθο σαρξ· τὴν γὰρ προσφατον γέννησιν σημαίνει. h. e. Considera vero ne quo modo ita potius adaptet, ut ambo quidem dicta sint de Christo : et *Filius meus es tu*, et *ego hodie genui te* : sed illud *Filius meus es tu*, quatenus Verbum est : æternam enim significat nativitatem *es*; hoc autem *hodie genui te*, juxta carnem; recentem namque designat nativitatem.

(1) S. Ambros. de Sacramentis. Lib. 3. Cap. 1 : « Habes, inquit, in actibus apostolorum, quod ille versiculus qui dicitur in Psalmo secundo : *Filius meus es tu*, *ego hodie genui te*, ad resurrectionem spectare videatur. Namque sanctus Apostolus Petrus (aut mendum typographicum hic est aut Ambrosii lapsus memoriæ; tu lege *Paulus*) in actibus apostolorum sic interpretatus est, quod tunc quando resurrexit Filius a mortuis, Patris vox resultaverit : *Filius meus es tu*, *ego hodie genui te.* »

(2) Ita S. Justinus Martyr, Dial. cum Tryph. p. 186, In edit. Monach. Congreg. S. Mauri. Τὸ *πνεῦμα τὸ ἅγιον*, inquit, *διὰ τοὺς ἀνθρωπους... ἐν εἴδει περιστερᾶς ἐπέπτη αὐτῳ, καὶ φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανων ἅμα ἐληλύθει, ἥτις καὶ δια Δαβὶδ λεγομένη, ὡς ἀπὸ προσώπου αὐτου λέγοντος ὅπερ αὐτῳ ἀπὸ του πατρὸς ἐμελλε λέγεσθαι· υἱός μου εἶ συ· ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε· τοτε γενέσιν αὐτου λέγων γίνεσθαι τοῖς ἀνθρώποις, ἐξότου ἡ γνωσις αὐτοῦ ἔμελλε γίνεσθαι. Spiritus Sanctus propter homines in specie columbæ in eum involavit, ac vox e cœlo venit, quæ per Davidem dicta fuerat tamquam ex Christi personâ proferentem quod ei Pater erat dicturus : Filius meus es tu, ego hodie genui te : tum demum eum nasci hominibus et oriri asserens, cum eis innotesceret.* — In eamdem sententiam verba hæc interpretatus est S. Methodius (In Photii Bibliothec. Cod. 237. pag. 959, in edit. Andr. Schotti).

referri ad illam generationem, quâ Deus Pater ab æterno Filium genuit. Subjicio hic locum Apostoli, quo facilius intelligantur quæ dicturus sum... *Qui... purgationem*, ait, *peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis* (1), *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum : Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium.*

Manifestum est Apostolum laudato loco de Christo agere quatenus *homo* est. *Christus*, inquit, *Angelis præstantior* EFFECTUS EST (græce γινομενος, h. e. *fiens*, *evadens*), et *præstantius præ illis nomen* HÆREDITAVIT (κεκληρονόμηκεν, h. e. obtinuit, consecutus est). Quod dicit EFFECTUS EST, HÆREDITAVIT, id profecto prodit eum de Christo loqui non ut *Deo* sed ut *homine;* nam tantummodo ut *homo* dici potest Christus EFFICI præstantior et præstantius CONSEQUI nomen. Quid vero inde conficitur? Conficitur, quæ affert Apostolus Scripturæ testimonia ad probandum quod dixerat, ea pariter habenda esse tamquam dicta de Christo ut *homine;* nam alias nulla esset probatio. Consequitur ergo Paulum verba Psaltæ : *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, intellexisse tamquam dicta de Christo *quatenus homo est.* Idque confirmatur vel ex modo loquendi qui occurrit in altero, quod ibi adducit, Scripturæ testimonio ubi typice de Christo dicitur : *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Nam quum dicatur ERIT *mihi in filium*, profecto innuitur, sit venia verbo, *filiatio* quædam FUTURA, adeoque non æterna illa Verbi genesis ex Patre.

Itaque jam hoc pro certo affirmare licebit, scilicet verba Psalmi : *Filius meus*, etc., interprete Paulo, non esse dicta de æterno ortu Verbi ex Patre. Atque id jam docuit B. Theodoretus, inter Græcos interpretes, meâ quidem sententiâ, facile princeps. Ejus verba hic subjicimus : *Quemadmodum*, inquit, *minor erat angelis ut homo... ita postquam adscendit in cœlos*,

(1) Græca rectius reddideris ita : *Qui postquam purgationem peccatorum fecerat, sedet ad dexteram*, etc.; nam Græce legitur particip. aor. καθαρισμὸν ποιησάμενος. Adde sessionem ad *dexteram Dei* subsecutam esse illi καθαρισμῷ.

angelis præstantior effectus est... Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te? et rursus : ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium? Hæc autem rursus dixit secundum humanitatem; hoc enim ostendit illud ERO *in Patrem, et illud* ERIT *in Filium; sunt enim hæc futuri temporis. Quin etiam et illud ego hodie genui te, non æternam significat generationem, sed eam quæ tempori conjuncta est. Tale est illud : hodie si vocem ejus audieritis. Et etiam quod ante dictum est: nomen hæreditavit, his consentit. Qui enim est naturâ Filius, non hoc accipit per gratiam; hoc enim habet per naturam. Sed ut jam dixi, postquam divina docuit, quæ ad incarnationem spectant exponit hoc loco, docetque omnium effectorem esse ut Deum, et omnium hæredem ut hominem; et angelorum opificem esse ut Deum, et eis factum esse præstantiorem ut hominem; et naturâ Filium esse, et id rursus accipere ut hominem, quod habet ut Deus* (1). — Hactenus B. Theodoretus, in Epist. ad Hebr. Cap. 1. v. 4.

Sed quominus verba *Filius meus*, etc. de æterno ortu Verbi ex Patre dicta putentur, obstat etiam contexta Psalmi oratio. Psalmus II, ut constat, propheticus est, in eoque prædicuntur, ut docet Theodoretus (2), *Christi Domini cruciatus regnum-*

(1) Ὥσπερ ἐλάττων ἦν ἀγγέλων ὡς ἄνθρωπος... οὕτω μετὰ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάβασιν κρείττων ἀγγέλων ἐγένετο... Τίνι γὰρ εἶπέ ποτε τῶν ἀγγέλων, Υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε ; καὶ πάλιν, Ἐγὼ ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα, καὶ αὐτὸς ἔσται μοι εἰς υἱὸν ; Ταῦτα δὲ πάλιν κατὰ τὸ ἀνθρώπινον εἴρηκε, τοῦτο γὰρ δηλοῖ τὸ Ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα, καὶ Αὐτὸς ἔσται μοι εἰς υἱὸν· μέλλοντος γὰρ ταῦτα χρόνου. Καὶ μέντοι καὶ τὸ Σήμερον γεγέννηκά σε, οὐ τὴν αἰώνιον δηλοῖ γέννησιν, ἀλλὰ τὴν τῷ χρόνῳ συνεζευγμένην· τοιοῦτον ἐστι τὸ, Σήμερον ἐὰν τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούσητε· καὶ τὸ πρὸ τούτων δὲ εἰρημένον, τὸ Κεκληρονόμηκεν ὄνομα, τούτοις σύμφωνον. Ὁ γὰρ φύσει υἱὸς, οὐ κατὰ χάριν τοῦτο λαμβάνει· ἔχει γὰρ αὐτὸ κατὰ φύσιν. Ἀλλ᾽ ὡς ἔφην ἤδη, τὰ θεῖα διδάξας, ἐνταῦθα τὰ περὶ τῆς οἰκονομίας διέξεισι, καὶ διδάσκει ὡς αὐτὸς καὶ ποιητὴς πάντων ὡς Θεὸς, καὶ κληρονόμος πάντων ὡς ἄνθρωπος· καὶ δημιουργὸς ἀγγέλων ὡς Θεὸς, καὶ κρείττων γέγονε τούτων ὡς ἄνθρωπος· καὶ φύσει υἱὸς, καὶ λαμβάνει τοῦτο πάλιν ὡς ἄνθρωπος ὅπερ εἶχεν ὡς Θεός.

(2) Theodoret. in Ps. 2.

que, et vocatio gentium. Itaque impios Regis Messiæ persecutores compellans Propheta exclamat : *Quare tumultuantur gentes... et principes conspirant contra Jehovam et unctum ejus* dicentes : *dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum* (1). Mox in scenam productus Jehova seditiosos illos affatur : Quid molimini, scelesti, inquit, *Ego Jehova, ego eum, quem aversamini, Regem constitui.* Post quæ ipse Rex Messias loquens introducitur : *Enarrabo*, inquit, *Jehovæ statutum*, quo scilicet me regem constituit : *Jehova dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi,* etc., ubi Christo, utique ut *homini*, universale in orbem terrarum imperium tradendum prædicitur.

Sat patet, ni fallor, contextam Psalmi orationem obstare quominus verba : *Filius meus es tu*, etc. referantur ad æternum ortum Verbi ex Patre. Neque enim de Christo ut *Deo*, sed de Christo ut *homine*, perpetuo ibi sermo est ; nec ut *Deus* constituitur Rex, sed ut *homo*. Itaque concludere licebit, in prædicti Psalmi loco Christum ut *hominem* vocari *filium*, ut *hominem* ibi etiam dici *genitum*. Atque hanc interpretationem postulat etiam vocabulum *hodie* (הַיּוֹם *hajom*), quod nuspiam in Scripturâ Sacrâ *æternitatem* notat. Nec vero licet pro arbitrio novas vocabulis affingere significationes.

Dicat quis : ergo-ne de humano Christi ortu ex Beatâ Virgine verba Psalmi sunt intelligenda ? Id equidem non putem ; nam et huic interpretationi obstare mihi videtur contexta oratio. Accedit, ne recte quidem Christum secundum humanam ejus naturam dici posse *genitum* a Patre.

Itaque superest ut, sanctos Justinum aliosque Patres secuti, verba Psalmi : *ego hodie genui te*, ad metaphoricam quamdam genituram referamus. Existimo autem ea verba ex mente Pro-

(1) Cf. Act. Ap. c. IV. v. 24—28. *Domine, tu es... qui spiritu sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus? Convenerunt enim vere in civitate istâ* (Jerusalem) *adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel, facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.*

phetæ dirigi ad Jesum Nazarenum mundo ut promissum Messiam palam exhibendum, et Israeli suscitandum; quod quidem factum est, postquam Jesus in Jordane baptizatus esset a Joanne, quo tempore voce delapsâ e cœlis declaratus est *Filius Dei*, qualem fore Messiam Judæi erant edocti. *In diebus autem illis*, ait S. Matthæus, Cap. III, *venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.... Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem. Et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua... Et dixit : ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est;... ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igni... Tunc venit Jesus a Galilæâ in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo... Baptizatus autem Jesus confestim adscendit de aquâ; et ecce aperti sunt ei cœli; et vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlo dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Ergo solemni hâc occasione Jesum Nazarenum Deus suum palam nuncupavit *Filium*, ipsoque illo die eum *genuit*, hoc est, in publicam lucem *protulit*, in hominum conspectum *produxit*, hominibus palam *exhibuit, manifestavit*, denique, quem patribus *promiserat* prophetam Messiam, eorum posteris misit, SUSCITAVIT (*ἀναστήσειν*, הֵקִים).

Atque in hanc sententiam præsentem Psalmi locum jam acceperunt, ut supra adnotavimus, interpretes antiquissimi, sancti Justinus, inquam, et Methodius.

In eamdem sententiam Psaltæ verba etiam interpretata est Glossa Talmudica ; nam verba : *ego hodie genui te*, ita reddit : היום אגלה לבריות שאתה בני, h. e. *hodie ostendam hominibus te esse filium meum* (Apud Josephum du Voisin in observatt. ad Raym. Martini *Pugionis fidei*, Part. 3. Dist. 1. cap. VIII).

Obiter hic adnoto verbum ילד etiam Prov. XVII, 17, ut mihi quidem videtur, ita interpretandum esse, ut notet *manifestare*, adeoque *gignere* metaphorico quodam sensu. Sic ibi legitur : בְּכָל־עֵת אֹהֵב הָרֵעַ וְאָח לְצָרָה יִוָּלֵד; quibus

verbis expressa videtur sententia hæc : Amicus, qui vere amicus est, omni tempore amat, sed amico suo tamquam fratrem se manifestat, se quasi revelat (וְאָח יִוָּלֵד) in angustiis (לְצָרָה). Vulgata dicendo : *omni tempore diligit qui amicus est; et frater in angustiis* COMPROBATUR, vocabulo יִוָּלֵד eamdem notionem subjecisse videtur (1).

Sentio igitur sanctum Paulum, Act. Ap. Cap. XIII. 33, ubi dicit, *datam patribus promissionem Deum adimplesse suscitando Jesum* (ἀναστήσας Ἰησοῦν vid. supra pag. 66, sqq.), *sicut et in Psalmo secundo scriptum est*: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, sentio, inquam, Apostolum hæc verba Psaltæ habuisse pro uno ex divinis oraculis de mittendo Messiâ, quod ibi docet adimpletum fuisse in Jesu Nazareno, qui, voce delapsâ e cœlis, coram magnâ hominum frequentiâ declaratus fuerat *Filius Dei*, qualem futurum esse Messiam Patribus promissum nequaquam ignoraverint Pauli auditores; quos ob famam rei publicam etiam latere non poterant quæ circa Jesum gesta erant ad ripas Jordanis; quare nec necesse habebat Paulus ea commemorare. Scilicet Apostolus sermonem ibi habebat non ad gentiles, qui sane aliter docendi erant; sed populares suos adloquitur; nec hos nova docet, sed quæ ipsi optime noverant in eorum memoriam veluti revocat, ut animadverterent, quæ de Messiâ erant prædicta, eventu fuisse comprobata in Jesu Nazareno, atque adeo hunc vere esse Messiam patribus suis promissum. Huc tendunt etiam reliqua duo quæ ibi recitat ora-

(1) Rabbi Levi ben Gersom (Raibag) vocabulo יִוָּלֵד pariter tribuit significationem metaphoricam. Sic enim scribit ad Prov. Cap. 17. v. 17 (in Bibliis magnis Rabbinicis) : או ירצה בזה כי האוהב יתחבר לאהובו בכל עת כדי שישמח בטובתו ויעזרהו לעת רעתו אמנם האח לא יחוש להתחבר עם אחיו בעת טובתו אך בצרתו יתעורר לעוזרו וגו' h. e. « vel ejus loci sensus hic est, ut dicere velit amicum amico suo devinctum esse semper, ita ut cum eo lætetur de rebus ejus secundis et in adversis opem ipsi ferat; fratrem vero in rebus fratris sui secundis non facile eidem collætari, sed quando adversis premitur tum excitari ad opem ipsi ferendam, etc. »

cula, quibusque probat Messiam, quem suscitaturus esset Deus postquam *pro peccatis posuisset animam* (*Jes,* Cap. LIII. 10), fore redivivum, nec amplius moriturum; quod profecto negare non poterant Pauli auditores eventum suum habuisse in Jesu Nazareno, quem et a mortuis resurrexisse noverint et in cœlum adscendisse.

Quod vero attinet ad epistolam ad Hebræos, ubi Paulus bis profert verba : *Filius meus es tu*, etc., jam supra probare conati sumus illud oraculum ab Apostolo non allegari (cap. 5) ad Christi sacerdotium probandum, adeoque dici non posse eum putasse illa Psaltæ verba dicta esse de Christi sacerdotio. In primo autem ejus epistolæ capite adducit verba : *Filius meus es tu*, ad probandum Jesu Nazareno Messiæ (1), quem illud Psalmi oraculum spectare non negaverint ii ad quos scribebat, nomen *Filii Dei* obtigisse; unde ibi infert Jesum tanto præstantiorem angelis fuisse effectum, quanto præstantius quam illi nomen erat consecutus.

Rev. Pater Patritius verba Psalmi : *Filius meus es tu*, etc., referre videtur ad divinam Verbi originem. Sic enim scribit : *Triplex sensus* (iis verbis) *inesse dicitur, quod Paulus iis usus sit ad hæc tria confirmanda : Christum esse filium Dei, æternum ipsi concessum sacerdotium, eumque post mortem revixisse. Nos tamen putamus verba Psaltæ nullum alium sensum continere præter primum ex hisce tribus.* — Verum, meâ quidem sententiâ, nequit is Psaltæ locus referri ad divinam Verbi originem. Obstant nimirum, ut supra jam notavimus, tum contexta Psalmi oratio, tum Paulinæ concionis contextus, tum etiam Apostoli in suâ epistolâ argumentatio, quæ omnia postulant ut verba : *Filius meus es tu*, etc., ad Christum *ut hominem* referantur. Sed hæc hactenus. Ad reliqua properamus.

(1) Psalmum secundum de Messiâ dictum esse agnoverint ii ad quos Paulus scribebat. Videsis quæ notavi in hanc rem in *Chrestomathiâ* meâ *Rabbinicâ et Chaldaicâ*, vol. 2. p. 241. sqq.

§ 3. *Ex Isaiæ Cap.* 53.

α) *Ex v.* 4.

Huc redit argumentum quod ex illo Isaiæ loco ducunt Fulgentius Bottens aliique bene multi : Verba Isaiæ (cap. 53. v. 4) : חֳלָיֵנוּ הוּא נָשָׂא וּמַכְאֹבֵינוּ סְבָלָם, quæ Vulgata reddit : *languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*, ad literam, inquiunt, intelligenda sunt de *pœnis peccatorum nostrorum* a Messiâ luendis; idque affirmant constare ex versione LXX Interpretum et Vulgatâ, tum etiam ex interpretatione Sancti Petri (1 Ep. Cap. 2. v. 24) et Pauli (1 Ep. ad Corinth. Cap. 15. v. 3); atqui, ita ratiocinantur, eadem illa Isaiæ verba sanctus Matthæus (Cap. 8. v. 17.) dicta esse docet de *morbis corporalibus*, adeoque habent allata illa Isaiæ verba duplicem sensum litteralem.

Ego vero non video quo jure adversarii nostri affirment allata Isaiæ verba de pœnis nostrorum peccatorum a Messiâ luendis capienda esse secundum versionem Vulgatæ. Ita ibi legitur : *languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Peto, nonne vocabula *languores* et *dolores* satis recte indicant morbos corporales illos de quibus agit Matthæus?

LXX Isaiæ verba in hanc quidem sententiam reddiderunt vertendo : Οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται, h. e. *ipse peccata nostra portat et pro nobis dolet.* Sed, ut patet, non in græca verterunt verba hebraica, sed tantum græce expresserunt quomodo ipsi hunc Isaiæ locum intelligerent (1); ut adeo versio septuagintaviralis hic urgeri omnino non possit. Quamquam, ea-ne est græcæ versionis auctoritas, ut, quas ipsa vocabulis hebraicis notiones subjecerit, eæ tamquam indubitanter veræ omnes sint habendæ? Ergo-ne græci illi interpretes non fuêre homines, qui in uno alterove transferendo vocabulo labi potuerint?

(1) Jam Maldonatus id monuit (in Matth. VIII. 17) : *Septuaginta*, inquit, *sensum non verba reddiderunt.*

Quod autem addunt, prædictum Isaiæ locum a Petro (Ep. 1. Cap. 2. v. 24) referri ad pœnas peccatorum nostrorum a Messiâ luendas, in eo omnino falluntur. En verba sancti Petri : *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus; cujus livore sanati sumus.* Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι, τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν· οὗ τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἰάθητε. Atqui hæc Petri verba recte quidem dixeris spectare quintum illius Isaiæ capitis versiculum, in quo reapse de pœnâ peccatis nostris debitâ sermo est (1); sed cur ad quartum trahantur, plane nulla est causa. Adverte verba Petri, *cujus livore sanati sumus*, esse ipsa postrema quinti illius versiculi verba; reliqua autem Petri verba : *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, hæc inquam, perspicue referunt id quod deinde in eodem illo Isaiæ capite v. 12 dicitur : *tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit.*

Sed ut ad oculum pateat non recte conferri ab adversariis verba Petri cum quarto illo Isaiæ versiculo : *languores nostros*, etc., quum Apostolus non hunc versiculum sed quintum respexerit et duodecimum, subjicimus hic e regione sibi opposita Isaiæ et Petri verba :

	Petrus.		Isaias.
v. 24.	*Qui peccata nostra ipse pertulit*	v. 12.	*Et ipse peccata multorum tulit;*
	in corpore suo super lignum,	*ibid.*	*tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est;* (Cf. Marc. XV, 28.)
	cujus livore sanati sumus.	v. 5.	*Et livore ejus sanati sumus.*

(1) Quintus ille versiculus totus hic est : *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.*

Ex his, opinor, satis constabit non posse illa Petri verba adduci tamquam argumentum ad probandum quæ in quarto illo Isaiæ versiculo leguntur, *languores nostros*, etc., secundum interpretationem Petri sumenda esse de pœnis peccatorum a Messiâ luendis, aut, quod alii præterea volunt, de peccatis ab ipso auferendis.

Quod vero citant Paulum dicentem (2 Cor. Cap. 15. v. 3): *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas*, ad probandum locum Isaiæ : *languores nostros*, etc. de morbis spiritualibus sive peccatis capiendum esse, hoc sane maxime ridiculum est, nec refutatione indiget.

Itaque adversarii nostri nullum afferre potuerunt argumentum, quo reapse probaverint Isaiæ verba *languores nostros*, etc. de peccatis a Messiâ auferendis aut de horum pœnis ab eodem luendis esse capienda.

Nostra vero sententia est, in prædicto Isaiæ loco (v. 4) sermonem esse *tantum de morbis corporalibus* a Messiâ auferendis, ut adeo Matthæus (Cap. 8. v. 17) unice vero et germano sensu Isaiæ verba intellexerit.

Non me latet esse interpretes qui dicant : *primo*, licet Matthæus Isaiæ locum de morbis corporalibus (Cap. 8. v. 17) dictum putaverit, Prophetæ tamen verba ita græce in ejus Evangelio esse reddita, ut ad morbos corporales significandos vocabula, quæ ibi leguntur, commode trahi nequeant; *secundo*, Isaiæ verba hebraica ægre sumi posse tamquam de morbis corporalibus dicta.

Sed si hæc ita essent, jam periisset argumentum quod ex prædicto Isaiæ loco ducitur ad defendendum multiplicem in Scripturis sensum litteralem. Nam si Isaiæ verba hebraica ad morbos corporales non recte possint referri, profecto de duplici verborum Isaiæ sensu litterali amplius sermo esse nequit; Matthæus vero dicendus erit verba Isaiæ, quæ de morbis spiritualibus seu peccatis dicta fuisse intellexerit, ad morbos corporales *accommodasse*, ut sentire videtur Maldonatus (1). Quare si cum illis interpretibus facere velimus, jam causam nostram vicimus, nec amplius urgeri poterit

(1) Commentar. in Matth. Cap. VIII. v. 17.

Isaiæ locus : *languores nostros*, etc., tamquam exemplum quo probetur multiplex in Scripturis sensus litteralis.

Verum falso putatur, aut Isaiæ verba hebraica, aut græca Matthæi, non posse recte sumi tamquam dicta de morbis corporalibus.

Consideremus primo loco græca Matthæi : ὅπως πληρωθῇ, inquit, τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος· Αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε (1), καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν. Quæ in Vulgatâ redduntur ita : *ipse infirmitates nostras accepit et ægrotationes nostras portavit.*

Probandum est vocabula νόσος et ἀσθενεία notare *ægritudines corporales*, et verba λαμβάνειν et βαστάζειν recte sumi posse in significatione *auferendi.*

Probamus autem ita : vocabulum νόσος in græcitate novi Testamenti non dicitur nisi de *ægritudine corporali;* quare ex lege parallelismi in hanc significationem accipiendum est etiam vocabulum ἀσθενεία, præsertim quum fere non nisi de ægritudine corporali dicatur, et bis tantum de ægritudine morali sive peccato dictum occurrat.

Porro verbum λαμβάνειν in græcis novi Testamenti libris notare etiam *auferre*, inter alia plura docent etiam hæc loca : Matth. Cap. V. v. 40. ... τὸν χιτῶνα σου λάβειν, Vulg. *tunicam tuam tollere* (auferre); et Apoc. Cap. III. v. 11... ἵνα μηδεὶς λάβῃ τὸν στέφανόν σου, Vulg. *ut nemo accipiat* (i. e. auferat) *coronam tuam*. Cætera mitto.

Quod vero attinet ad vocabulum βαστάζειν, illud etiam dici pro *auferre*, *removere*, docemur ex Joan. Cap. XX. 15, ubi Maria : κύριε, inquit, εἰ σὺ ἐβάστασας αὐτὸν, Vulg. *si tu sustulisti eum.* Item Joan. Cap. XII. v. 6 : Καὶ τὰ βαλλόμενα ἐβάσταζεν; ubi βαστάζειν pro *auferre* accipiunt Origenes, S. Jo. Chrysostomus et Nonnus Panopolitanus, ut docet Klee (2). Eâdem significatione vocabulum illud adhibitum legitur, teste Kuinoel (3), etiam ab Apollodoro (Bibl. 2, 6. 2), Flavio Josepho

(1) In nonnullis Codd. legitur ἀνέλαβε, sed majorem auctoritatem habet lectio ἔλαβε.

(2) Commentar über das Evangelium nach Joannes. i. h. l.

(3) In Evang. S. Jo. ad Cap. XII. v. 6.

(Antiq. 14. 7) et Diog. Laertio. Addatur Polybius (Lib. 1. C. 48), quem citat Raphelius (1). Tandem ex loco quodam Galeni (*De compos. medic. per genera*), quem affert Schleusner (in Lexic. a. h. v.) recte colligitur βαστάζειν usitatum fuisse vocabulum in re medicâ. Ita Galenus (loc. laud.) dicit : *Ψώρας τε θεραπεύει, καὶ ὑπώπια βαστάζει*, h. e. *a scabie sanat, et hypopium aufert.*

Ad hebraica vocabula jam transeamus. Probandum hic pariter est voces חֳלִי (choli) et מַכְאוֹב (macob) recte sumi de corporali ægritudine et dolore, et porro, verba סָבַל (sabal) et נָשָׂא (nasa) notare etiam *auferre.*

Atqui utrumque vocabulum חֳלִי et מַכְאוֹב ut sæpissime legitur, sic plerumque aut morbum aut corporis aliquod malum notat; aliquando quidem occurrunt ea vocabula de sollicitudine seu ægritudine animi, numquam vero de peccato; nec asserere dubito errasse Fuerstium (in Concordant. Hebr.) dum docuit vocabulum חֳלִי etiam de peccato dictum in Scripturâ hebraicâ occurrere.

Porro verbum נָשָׂא etiam absolute positum sine præpositione מִן frequenter legitur in significatione *auferendi.* Exempla sunt : 2 Sam. (Vulg. 2 Reg.) Cap. V. v. 21 : וַיִּשָּׂאֵם דָּוִד, *et abstulit ea David.* Ecclesiastæ Cap. V. v. 14 : מְאוּמָה לֹא יִשָּׂא, *nihil aufert.* Job. VII. 21 : וּמֶה לֹא תִשָּׂא פִשְׁעִי וְתַעֲבִיר אֶת־עֲוֺנִי, *Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam?* Addatur phrasis obvia : נָשָׂא נֶפֶשׁ פְּלוֹנִי, *vitam alicujus abstulit.* Mitto cætera.

Verbum autem סָבַל, quod in universâ Scripturâ hebraicâ novies tantum legitur, an præter *ferre*, *gestare* etiam *auferre* notet, Lexicographi quidem affirmant nullo exemplo probari

(1) Annott. in S. Script. ex Xenophonte, Polybio, Arriano et Herodoto, in Matth. VIII. 17.

posse; ego tamen videor mihi unum posse afferre, idque ex ipso eo Isaiæ vaticinio, de quo agimus. Scilicet *τὸ* יִסְבֹּל, quod undecimo legitur versiculo, meâ quidem sententiâ, omnino reddendum est *auferet*. En verba Prophetæ: בְּדַעְתּוֹ יַצְדִּיק צַדִּיק עַבְדִּי לָרַבִּים וַעֲוֹנֹתָם הוּא יִסְבֹּל. Jehova hic loquitur de Messiâ: Ex labore suo, inquit, quo se fecerit pro peccato sacrificium piaculare (v. 9. 10), fructus uberrimos percipiet; *sui cognitione* (בְּדַעְתּוֹ) *multos justificabit justus ipse servus meus*, *et iniquitates eorum ipse auferet*, scilicet *sui cognitione* (cff. Jo. XVII. 3. — 2 Petri I, 2. 3. 8. (1)) Vulgata quidem habet: *iniquitates eorum ipse* PORTABIT; verum contexta oratio omnino postulare mihi videtur ut vertamus AUFERET. Nam hoc flagitat parallelismus membrorum; quum enim in anteriori versiculi membro dicatur *justificabit*, justificatio autem in suo conceptu involvat peccatorum, ut ita dicam, *ablationem*, patet profecto posterius membrum priori perbelle respondere, si vertamus: *et iniquitates eorum ipse auferet*. Qui יִסְבֹּל reddunt *portabit*, per metonymiam *iniquitates* interpretantur *pœnas peccatis debitas;* sed quo jure? nam in priori membro nihil est, quod prohibeat quominus vocabulo *iniquitates* propriam suam subjiciamus notionem. Accedit, Prophetam paulo ante (v. 5) jam disertis verbis dixisse Messiam laturum esse pœnas peccatis nostris debitas: *Vulneratus est*, inquit, *propter iniquitates nostras*, *attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum*, *et livore ejus sanati sumus*. Itaque ne dicamus Isaiam in tautologiam incidisse, fatendum erit eum in undecimo illo versiculo non illud ipsum dixisse quod in quinto.

Quum ergo quod hic dicitur יִסְבֹּל ad pœnas peccatorum referri nequeat, relinquitur ut referatur ad ipsa peccata; quum vero præcedat יַצְדִּיק *justificabit*, ex lege parallelismi

(1) Suffixum in voce בדעתו sumendum est objectivè, ut *cognitione sui* idem sit ac *per fidem Christianam*.

יִסְבֹּל vertendum erit *auferet*, nam hoc postulat illa *justificatio*.

Itaque nec græca Matthæi nec hebraica Isaiæ vocabula obstant, quominus objectum ab adversariis locum, *languores nostros*, etc. de morbis corporalibus dictum intelligamus. Quum vero adversarii nullum proferre potuerint argumentum, quod cogat eum locum accipere de peccatis aut eorum pœnis auferendis, conficitur neque hinc haberi posse patrocinium causæ quam defendunt.

Sic ergo Isaiam intelligimus, ut Propheta ex personâ Judæorum ad fidem conversorum dicat : *Vere morbos ægritudinesque corporum nostrorum ipse abstulit, dum nobiscum conversaretur; et tamen in cruce pendentem habebamus eum pro homine percusso a Deo;* dicebamus : *alios salvos fecit, seipsum salvum facere non potest* (cf. Matth. XXVII. 42) ; *ast perfossus ille fuit ob prævaricationes nostras, contritus ille fuit ob iniquitates nostras*, etc.

Cæterum, quod hic adnotasse operæ pretium erit, in eamdem sententiam eum Isaiæ locum interpretati jam sunt Lucas Brugensis (in Matth. VIII. 17), Forerius (in Isaiæ LIII. v. 4.) et Cardinalis Cajetanus (in Matth. VIII. 17), qui suæ interpretationis patronos advocare potuissent sanctos Irenæum (ed. Massuet, p. 273) et Jo. Chrysostomum (in Matth. Homil. 27.). —

R. P. Patritius adversariis breviter respondet ita : *Aio*, inquit (1), *nullum nos negotium habere a Petri Epistolâ. Etsi enim fuerint, hosque inter græci interpretes, qui nomen* חֳלָיֵנוּ, *pro quo Hieronymus reddidit* languores nostros, *translatum crederent, illudque verterent* peccata nostra, *quos tamen ideo multiplicem significatum verbis Isaiæ subjectum putasse nemo profecto arguat, non his Petrus adnumerari potest, qui, non hæc, sed alia Isaiæ verba, quæ in illo eodem capite leguntur* (v. 12), *imo verborum dumtaxat sententiam retulit. Sed et a Matthæo non gravior nobis est difficultas, imo is verum germanumque sensum illius vaticinii nos docet. Ait enim illud imple-*

(1) Cit. op. pag. 17.

tum fuisse, quum Christus ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit (Matth. VIII, 16). *Hoc vero significare nullo modo potest posterior vaticinii pars, in quâ verbum* סָבַל, *æque ac verbum* ἐβάστασεν *a Matthæo pro hebraico redditum, non sonat* depellere *aut* auferre, *sed* portare *seu* bajulare; *ergo prior pars illud significet necesse est. Et re verâ verbum* נָשָׂא, *quod in eâ habetur, æque ac latinum* tulit, *idem valere potest ac* abstulit, *idque ipsum valere etiam potest verbum* ἔλαβε *redditum a Matthæo.* Cff. Matth. V, 40; XV. 26. Apoc. III. 11. præsertim 2 Cor. XI. 20. Apoc. VI. 4. *Sic igitur sentiendum est : priora illa ex verbis Isaiæ :* languores nostros ipse tulit, *dicta esse de nostrorum corporum malis, in quantum pœnæ peccati ea sunt, et significare Christum salvatorem et redemptorem nostrum mala hæc a nobis prodigialiter sublaturum; posteriora vero :* dolores nostros ipse portavit, *cruciatus, nobis quidem debitos, sed a Christo ipso perferendos, sonare. Ut tota sententia sit, fore ut mala, quæ nobis peccantibus debebantur, Christus a nobis quidem depelleret, ipse vero sustolleret ac pateretur, quo elegans antithesis exsistit.* Atque hæc quidem R. P. Patritius. Quæ an difficultatem satis solvant, adversarii nostri judicent.

β) Ex *v.* 8.

Venio nunc ad alterum Isaiæ locum ex eodem LIII capite deprömptum, ad verba, inquam, *generationem ejus quis enarrabit* (1), quæ quidem verba tamquam præcipuus ac veluti locus palmaris passim laudantur a patronis multiplicis sensûs litteralis; nam *et* humanum Christi ortum *et* divinum, utrumque *inenarrabilem*, hic a Propheta dictum volunt; sed firmum argumentum, quo id probent, frustra quæsieris.

Illis R. P. Patritius respondet : *sibi potius videri huic prophetico effato unicam subesse significationem, sed quæ utramque simul Verbi generationem designet,... veluti duas partes totius rei significatæ; ut vocabulo* GENERATIONE *Isaias utramque*

(1) Hebraice : ואת־דורו מי ישוחח כי נגזר וכו'.

simul nominaverit, usurpans, quod sæpissime fit, singularem numerum pro plurali. Et, *attendatur*, idem inquit, *verum utique esse, oraculum istud æque posse ad alterutram illarum spectare, quum nulla ratio nos affirmare cogat id de unâ potius quam de alterâ fuisse prolatum, non tamen ex hoc consequens fieri, prolatum simul esse de utrâque, multoque minus ideo duplicem sensum præferre, quod nullo argumento potest confirmari* (1). Deinde addit, non esse adversariis cur hic Patrum interpretationem urgeant ad probandum duplicem prophetico illi oraculo subesse sensum litteralem.

Itaque concedit R. P. Patritius, oraculum Isaiæ æque posse referri ad alterutrum Christi ortum; sed negat, hinc consequi de utroque simul esse ita prolatum, ut duplex uni eidemque Prophetæ effato subjecta sit notio. Ipse vero in hanc inclinat sententiam ut credat tamen, duplicem Christi ortum in hoc oraculo esse designatum, non quòd duplicem sensum litteralem verbis suis Spiritus S. subjecerit, sed quòd, singulari usus numero pro plurali, dum *generationem* dixit, dicere intenderit *generationes*, utrumque Christi ortum simul complexus. Quæ mihi ad id quod objectum est ingeniosa potius quam solida videtur responsio.

Ego certe puto aliter respondendum esse adversariis. Scilicet mihi omnino negandum videtur, in laudato Isaiæ loco sermonem esse de alterutro Christi ortu; nec de Christi ortu divino, inquam, nec de humano agit Propheta. Nimirum vocabulum, quod *generatio* audit in versione Vulgatâ, hebraice דוֹר (DOR) est. Atqui, seu vocis דוֹר (DOR) etymon consideres, seu attendas ad notiones in Scripturâ Hebraicâ huic vocabulo subjectas, fateri cogeris, vocabulum illud in eum sensum, quo *generationem*, h. e. *ortum*, *originem*, *natales* significet,

(1) Cit. op. pag. 18 et 44.—Alber sibi visus est nodum solvisse hoc modo: *In verbis :* GENERATIONEM EJUS QUIS ENARRABIT, *duplicem*, inquit, *sensum posuerunt esse, alterum de divinâ, alterum de humanâ Christi generatione, idque ex eo quod Patres hunc locum alii de divinâ, alii de humanâ Christi generatione intellexerint. Hinc vero nondum sequitur, utrumque hunc in his verbis existere sensum. Dum enim Patrum sunt discrepantes de sensu sententiæ, non ideo fit ut is omnis sensus, de quo Patrum sententiæ variant, debeat etiam esse verus ipsius Scripturæ sensus.* Vid. Alber, Institt. hermeneuticæ. T. 1. p. 58.

accipi omnino non posse. Vocabulum דוֹר (DOR) plus quam centies et quinquagies in Sacrâ Scripturâ occurrit, sed ne semel quidem ita ut *ortum* seu *originem* personæ aut rei notet. Si qui mihi fidem non habeant, ipsi lexica adeant, aut, quod satius est, hebraicas, ut vocant, Bibliorum *concordantias.*

Confirmatur quod modo dicebam ex versione septuagintavirali, quippe quæ in loco de quo agimus pro hebraico דוֹר (DOR) habet γενεὰ, quod sicut in Græcâ Scripturâ vocabulum frequentissimi usûs est, ita nusquam dicitur de alicujus personæ aut rei *generatione*, h. e. *ortu* sive *origine.* Pariter nec in græcitate novi Testamenti vocabulum γενεὰ in hâc significatione ullibi occurrit.

Apud scriptores profanos vox γενεὰ notionem *ortûs* sive *originis* nonnumquam habet, unde factum esse putem ut Græcorum Patrum plures de alterutro Christi ortu Isaiæ locum acceperint.

Cæterum omnino non est cur adversarii nostri Patrum urgeant auctoritatem, ad probandum laudatis Isaiæ verbis duplicem subesse sensum litteralem. Patres, inquam, non consentiunt in illius prophetici effati interpretatione. Nam ut alii (1) illud exponunt de ortu Christi divino, ita alii (2) vicissim illud referunt ad ortum ejus humanum; alii vero ambigunt uter sit intelligendus (3); porro nec desunt qui dicant propheticis illis verbis indicari redivivi Christi vitam gloriosam (4); ut facile videas, non certo inter ipsos constitisse de verâ hujus oraculi interpretatione.

Quare et Interpretes Catholici, tum antiquiores, tum recentiores, eum Isaiæ locum aliter quam de divino aut humano Christi ortu exponere minime dubitarunt.

Ita Forerius, sumendo vocabulum דוֹר (DOR) eo sensu quo passim notat *homines eâdem ætate degentes*, *coætaneos, coævos*, Isaiæ verba : *generationem ejus quis enarrabit*, ita interpre-

(1) S. Cyrill. Hierosol. Catech. XI. Theodoret. Eccl. Hist. Lib. 1. cap. 3.

(2) Tertull. adv. Jud. ed. Pamelii, p. 173. Cyrillus Alexandr. in Isaiam. in h. l.

(3) S. Hieronymus. Vid. suprà p. 35.

(4) Ita Theodorus Heracl. in *Catenâ Græcâ in acta Ap.e Cod. Nov. Coll. recentissime primum editâ, adjectâ lectionis varietate e Cod. Coislin. ab J. A. Cramer, Oxonii* 1838; p. 145.

tatur quasi diceret Propheta : quis concipiat homines ipsi coævos, i. e. perversitatem ipsorum. *Cum enim*, inquit, *a turbâ populi et ab ipsis Magistratibus, Pharisæis et principibus sacerdotibus Christum Dominum damnatum et morti addictum dixisset Propheta, non potuit non admirari* GENERATIONEM *illam*, SECULUM *illud, mores hominum illorum, qui talia ausi fuissent* (1). Cum Forerio faciunt Pineda (2) et Lorinus; et hic quidem; *interdum*, inquit, *γενεὰ significat homines alicujus ætatis et sæculi, ut apud Isaiam : Generationem ejus quis enarrabit* (3). Idem diserte negat hebraicum דּוֹר (DOR) aut græcum γενεὰ umquam significare *ortum* sive *originem* (4).

Adamus Sasbout refert, esse interpretes qui verba : *Generationem ejus quis enarrabit*, subjectâ vocabulo דּוֹר (DOR) notione *posteritatis*, enarrant hoc sensu : *Tanta Christo nascetur soboles et posteritas ex passionis beneficio, ut jam præ nimiâ multitudine non possit narrari vel numerari; tam erit immensa et copiosa*. Ipseque Adamus hanc interpretationem cæteris præfert; nam ad sequentia oraculi verba : *Quia abscissus est*, etc. hæc scribit : *quia abscissus est Christus, id est, mortuus est, ideo semen ejus erit immensum, et generatio ejus sive posteritas numerari non poterit* (5).

Posterior hæc interpretatio, quam et Vulgata nostra non respuit et Græca versio suadet, nequaquam contemnenda mihi videtur. Certe vocabulum דּוֹר (DOR) de *posteritate* sive *posteris* dici negari nequit. Sic Num. IX. 10 legimus : לָכֶם אוֹ לְדֹרֹתֵיכֶם, *vobis vel posteris vestris*. Rosenmuller quidem huic interpretationi objecit, verbum שִׂיחַ (SIACH), quoties de *meditatione et sermone* dicitur, perpetuo construi cum præpositione בְּ (BE) præfixâ illi vocabulo quod exprimit rem, de quâ quis meditatur aut sermonem facit; et sane fatendum est, exempla deesse ex quibus contrarium probetur. Facile tamen

(1) Vid. Forerii Commentar. in Isaiam, in h. l.
(2) Commentar. in Job. Cap. 8. v. 8.
(3) Vid. Lorinum in Act. Ap. ad Cap. II v. 40. p. 146 in ed. Lugdun. 1605.
(4) Ibid. ad Cap. VIII. v. 33. p. 420.
(5) Adami Sasbout Commentar. in Isaiam; in h. l.

fieri potuit ut verbum שִׂיחַ (SIACH) etiam absolute cum accusativo construxerint Hebræi; nam verbum הָגָה (HAGA), quod verbi שִׂיחַ (SIACH) Synonymum est, modo cum præpositione בְּ (BE) modo absolute cum accusativo construitur, v. g. Isaiæ cap. XXXIII. 18. Ergo secundum Sasboutii interpretationem Propheta diceret : *Quis mente concipiat ejus posteritatem* (spiritualem, h. e. multitudinem spiritualis sobolis Servi Dei sive Messiæ), *propterea quod abscissus est e terrâ viventium, et percussus propter iniquitatem populi mei.* Attamen non caret hæc interpretatio suâ difficultate.

Itaque malim eum locum explicare in hanc sententiam : *Sed quod attinet ad* (וְאֶת) *coævos ejus* (Servi Dei seu Messiæ), *quis est qui secum reputet excisum eum esse e terrâ viventium et percussum ob iniquitatem populi mei!* Etiam Rosenmuller illud וְאֶת־דּוֹרוֹ interpretatur ut feci ego; in cæteris vero a meâ interpretatione dissentit (1). Vocabulo דּוֹר notionem subjeci

(1) Integrum ejus commentarii locum hic subjicimus : «Observandum est, inquit, voculam את haud raro præponi nominativo, et ei quidem articulo vel suffixo pronomine restricto, ut habeat vim aliquam demonstrandi. Vid. Sam. XI. 25. — 2 Reg. X. 15. et not. ad Ezech. XXXI. 4. Est autem ואת דורו nominativus qui dicitur *absolutus*, latine ita exprimendus : *quod attinet ad æquales sive coævos suos.* מי ישחח vero vertimus : *quis meditatur*, seu *cogitat.* Quid cogitare debuissent coævi illius, expressum est in fine versûs his verbis : מפשע עמי נגע למו *propter delictum populi mei plaga eis*, sc. Hebræis ; quod his verbis præmissum est : כי נגזר מארץ חיים, ita capimus : *quando excisus esset e terrâ viventium.* » — Notandum hic est versari Rosenmullerum in falsâ hâc sententiâ ut credat in præsenti Isaiæ vaticinio *Servum Dei* (עבד יי) non Messiam sed ipsum populum Hæbræum esse intelligendum. Quare et illud לָמוֹ, quod ibi (v.8) legitur, affirmat scriptum esse pro לָהֶם; *nam*, ait, לָמוֹ *ubicumque in V. T. occurrit idem valet quod* לָהֶם. Sed hoc falso docet. Nam certe, etsi alia exempla deessent, לָמוֹ illud, quod legitur Isaiæ Cap. 44. 15. עָשָׂהוּ פֶסֶל וַיִּסְגָּד־לָמוֹ (Vulg. *fecit sculptile et curvatus est ante illud*), nemo dixerit pro להם esse dictum. Plura exempla collegit Ewald, Grammatik der Hebr. Spr. ed. 3. Lips. 1838. p. 267. § 421.

8.

maxime obviam. Verum illud אֶת־דּוֹרוֹ in nominativo *absoluto* positum esse, quod vult Rosenmuller, equidem non puto; sed cur dissentiam, exponere longum esset. Meâ quidem sententiâ אֵת ibi præpositio est quæ idem valet quod אֶל vel לְ; itaque *το* ואת verti *quod attinet ad*. Kimchi certe, adductis exemplis, diserte docet voculam אֵת adhiberi pro אֶל vel לְ (1). Profecto occurrunt in Scripturâ Hebraicâ loca plura, ubi voculam אֵת per *quod attinet ad* reddendam esse, inspectâ oratione contextâ, nemo facile negabit (2).

Cæterum, quæcumque tandem verior sit ejus loci interpretatio, illud certissime constat, non posse Prophetæ verba in eam sententiam accipi, ut locutus dicatur de *Servi Dei* ortu aut divino aut humano, ut supra probavimus; adeoque patroni multiplicis sensûs litteralis patrocinium causæ suæ etiam ex hoc Isaiæ loco quærunt frustra.

§ 3. *Ex Habacuc, Cap.* 3. *v.* 2.

Quod in Vulgatâ est : *in medio annorum notum facies*, id, ait Goldhagen (3), in septuaginta-virali versioue effertur : *in medio duorum animalium cognosceris* (4); indeque concludit duplicem huic Habacuci loco subesse sensum litteralem.

Hebraica ejus loci verba hæc sunt :

יְהוָֹה שָׁמַעְתִּי שִׁמְעֲךָ יָרֵאתִי
יְהוָֹה פָּעָלְךָ בְּקֶרֶב שָׁנִים חַיֵּיהוּ
בְּקֶרֶב שָׁנִים תּוֹדִיעַ
בְּרֹגֶז רַחֵם תִּזְכּוֹר.

(1) In suo ספר השרשים ad voc. את.

(2) Cff. Gen. 21. 13. Ezech. 44. 3. Josue 15. 63. Ezech. 20. 16. Nehem. 9. 34. coll. 33.

(3) Vid. supr. p. 21.

(4) Ex Italâ, quæ ad versionem LXX facta est, desumpta sunt verba : *in medio duorum animalium cognosceris*, quæ leguntur in officio ecclesiastico festi Circumcisionis Domini et in Epiphaniâ.

Quæ in Vulgatâ latine reddita sunt his verbis :

Domine audivi auditionem tuam, et (1) timui.
Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud;
In medio annorum notum facies;
Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

Ex quo patet sanctum Hieronymum in exemplari suo Hebraico non aliter legisse quam hodiedum adhuc legimus; nec aliter legerunt veteres interpretes Chaldæus, Syrus, Symmachus, Aquila aut Theodotion.

In versione vero Italâ hic locus ita legitur :

Domine audivi auditum tuum, et timui.
Domine consideravi opera tua, et obstupui.
In medio duorum animalium cognoscêris :
Cum appropinquaverint anni, cognoscêris;
Cum advenerit tempus, demonstraberis :
Cum turbata fuerit anima mea,
In irâ misericordiæ recordaberis.

Hæc vero fidus Interpres expressit ex græco suo Bibliorum exemplari, in quo id legit, quod et nos hodiedum legimus :

Κύριε εἰσακήκοα τὴν ἀκοὴν σου, καὶ ἐφοβήθην.
Κύριε (2) κατενόησα τὰ ἔργα σου, καὶ ἐξέστην.
Ἐν μέσῳ δύο ζώων (3) γνωσθήσῃ,
Ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ἐπιγνωσθήσῃ
Ἐν τῷ παρεῖναι τὸν καιρὸν ἀναδειχθήσῃ·
Ἐν τῷ ταραχθῆναι τὴν ψυχήν μου
Ἐν ὀργῇ ἐλέους μνησθήσῃ.

(1) Præfixum ו ante יראתי cum Hieronymo legisse etiam videntur Græcus et Syrus interpretes. Codicum Hebraicorum, uno dempto, constans lectio est יראתי sine ו. Atque ita legendum esse suadet etiam affectus Prophetæ, qui non historice exprimere vult se, quo tempore oraculum illud acceperat, timore fuisse correptum, ut nunc tamen affectus ille timoris præterierit, sed significare vult adhuc perdurare illum timorem, qui et sequentem supplicationem ex eo elicit.

(2) Vox κύριε abest a Cod. Vatic. sed legitur in Cod. Barb. et in editt. Ald. et Complut.

(3) Vocabulum ζωων (v. 3), quum antiquitus mos non esset accentus vocibus adscribere, legi poterat vel ζώων quod notat *animalium*, vel

Nemo profecto est qui non statim animadverterit quam molestâ hæc laborent tautologiâ, ut adeo vel sine collatione antiquarum versionum vix dubites asserere locum esse corruptum. Ut vero nolim contradicere Hieronymo asserenti Septuaginta, quos vocant, Interpretes quædam de suo addidisse quæ in Hebraicâ Scripturâ non legebant (1), sic tamen causam cur in præsenti loco Græca versio ab Hebraicâ veritate tantopere discordet, aliunde putem esse repetendam. Scilicet videor mihi manifesto videre hic jam antiquissimis temporibus varia græcorum lectorum glossemata, margini alicujus exemplaris, uti fit, adscripta, hinc librariorum oscitantiâ deinde in textum irrepsisse.

Puta porro ad exemplar hoc modo corruptum tum alia fuisse expressa apographa, tum etiam illud quo usus est auctor versionis Italæ, quodque repræsentatur in Vaticano Græcorum Bibliorum codice, cæterisque qui supersunt ejusdem familiæ codicibus.

Conjicio etiam hoc, scilicet Græcum Interpretem in Hebraico codice quo usus est pro שְׁנִים חַיֵּיהוּ mendose legisse שְׁתֵּי חַיּוֹת (2).

ζωῶν quod est *vitarum.* Auctor Italæ versionis legendum putavit ζώων, unde et vertit *in medio duorum* ANIMALIUM. Eusebius vero (Demonstr. Evang. Lib. VI) censuit legendum ζωῶν *vitarum;* cum eo facit etiam Theodoretus in Habacuci Cap. 3. Operæ pretium erit obiter hic ex eo notasse, quam male habuerint duo hæc animalia ejus temporis interpretes. « Quidam, inquit, duo animalia intellexerunt angelos et homines; quidam ex incorporeis virtutibus eas quæ divinæ gloriæ appropinquant, Cherubim et Seraphim; alii Judæos et Babylonios. Mihi vero videtur, non animalia, sed vitas (μὴ ζῶα, ἀλλὰ ζωὰς) prophetam dixisse, præsentem et futuram, quarum in medio judex justus apparet. »

(1) Vide S. Hieron. Epist. LVII ad Pammach. Ed. Vallars. « Longum est, inquit, revolvere, quanta Septuaginta de suo addiderint, quanta dimiserint, quæ in exemplaribus Ecclesiæ obelis, astericisque distincta sunt. Illud enim quod legimus in Isaia: *Beatus qui habet semen in Sion, et domesticos in Jerusalem*, solent Hebræi deridere, quum audierint. Nec non et in Amos post descriptionem luxuriæ: *Stantia putaverunt hæc, et non fugientia.* Revera sensus rhetoricus et declamatio Tulliana! » etc.

(2) LXX legisse שני חיים, quod non nemo suspicari possit, non putem. Neque enim ullo modo concipitur cur tum non scripsissent: ἐν μέσῳ τῶν

Putem ergo Græcum Interpretem in suo, quo utebatur exemplari, legisse ita :

יְהוָה שָׁמַעְתִּי שִׁמְעֲךָ
וְיָרֵאתִי פָּעָלְךָ
בְּקֶרֶב שְׁתֵּי חַיּוֹת
בְּקָרֵב שָׁנִים תִּוָּדֵעַ
בְּרֹגֶז רַחֵם תִּזְכּוֹר.

Hæc vero existimo eum ita græce reddidisse :

Κύριε εἰσακήκοα τὴν ἀκοήν σου
Καὶ ἐφοβήθην τὰ ἔργα σου
Ἐν μέσῳ δύο (1) ζώων (2) γνωσθήσῃ (3)
Ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ἐπιγνωσθήσῃ
Ἐν ὀργῇ ἐλέους μνησθήσῃ.

h. e. *Domine audivi auditionem tuam*
Et timui opera tua
In medio duorum animalium cognosceris
Cum appropinquant anni agnosceris
In irâ misericordiæ recordaberis.

ἐνιαυτῶν ζωῆς, quo nihil magis obvium erat. Capellus (apud Rosenm. in h. l.) putat LXX legisse שנים חיות ; sed hoc verisimile non est; nam non scribitur שְׁנַיִם nisi sequente עָשָׂר; deinde, cum חיות feminei generis sit, non שְׁנַיִם sed שְׁתַּיִם scribendum erat. Atqui duo hæc grammatica menda, quæ non poterant non animadvertere, si vidissent in Hebraico codice quo utebantur, mendum in eum codicem irrepsisse statim deprehendissent ; itaque, correctiori exemplari inspecto, aliter vertissent quam fecerunt.

(1) Alexandrini scribunt in genitivo casu δύο.

(2) Quum חַיָּה etiam notet *vitam*, ut patet ex Job. XXIII. 18. 22. 28. Ps. 143. 3. Ezech. VIII. 13, nequit plane negari LXX sibi velle potuisse ζωῶν (*vitarum*) plural. a ζωή. Cff. quæ notavi supra pag. 91.

(3) Illud γνωσθήσῃ suppleverint ex sequente תִּוָּדֵעַ velut ἀπὸ τοῦ κοινοῦ.

Itaque græcus quidam lector, ut vocabulum εἰσακηκόα explicaret, in margine sui exemplaris scripserit κατενόησα, quod putaverit melius quadrare in subjectam vocem ἀκοήν. Rursus quum τὰ ἔργα σου dicta putaret *de operibus Dei qua Creatoris,* vocabulum ἐξέστην rectius convenire existimaverit. Librarius igitur ratus duo hæc glossemata (κατενόησα et ἐξέστην) particulam esse versionis septuagintaviralis ea in textum adsumpserit, et de suo addens καὶ, quod deesse videretur, ita scripserit : Κύριε εἰσακηκόα τὴν ἀκοήν σου καὶ ἐφοβήθην, κατενόησα τὰ ἔργα σου καὶ ἐξέστην. Quod porro in græcâ versione abundat : ἐν τῷ παρεῖναι τὸν καιρὸν ἀναδειχθήσῃ, illud quisque videt non esse nisi verborum ἐν τῷ ἐγγίζειν κ. τ. λ, interpretationem quamdam margini alicujus codicis adscriptam, quæ pariter in textum irrepserit. Tandem, quod superest : ἐν τῷ ταραχθῆναι τὴν ψυχήν μου, quod similiter glossema prorsus olet, adscriptum esse videtur margini alicujus exemplaris in quo tamquam pars textûs jam legebatur spurium illud ἐξέστην, ad quod elucidandum aliquis in margine sui codicis scripserit : ἐν τῷ ταραχθῆναι τὴν ψυχήν μου (*quum turbata esset anima mea*), quod, ut patet, per se plenum intellectum non habet. — Hoc ergo modo forsitan nata est tautologica illa Græcæ versionis oratio.

Sed jam ut ad propositum nostrum veniamus, vide mihi quam nihili sit quod ex eo Habacuci loco ducitur argumentum ad probandum litteralem sensum multiplicem. Nam primo quidem, versio septuaginta-viralis, ut patet, in objecto loco manifesto corrupta est; et, licet verisimilius videatur verba ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ genuinam continere LXX versionem, de hoc tamen certo non constat; fieri enim potest ut vel verba ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ sint lectoris cujuspiam hebraici textûs interpretatio, LXX autem verterint :

Ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη ἐπιγνωσθήσῃ
Ἐν τῷ παρεῖναι τὸν καιρὸν ἀναδειχθήσῃ (1).

(1) Tum vero putes eos Hebraica legisse ita : בקרב שנים חיית
בקרב שנים תודע

Pro תודע cum י *matre lectionis* scribi etiam potuit תודיע.

Sed fac verba *'ν μέσῳ δύο ζωων γνωσθήσῃ* genuinam LXX esse versionem, nec sic tamen certum est eos dicere voluisse : *in medio duorum animalium cognosceris*, quum etiam velle potuerint : *in medio duarum vitarum cognosceris*; nam, ut vidimus (1), pro vario vocabuli *ζωων* accentu, quem adscribere posterioris demum ætatis fuit, et *animalium* et *vitarum* reddere possis. Ergo nec certo constat an LXX scripserint : *in medio duorum animalium cognosceris*, et ambigitur an pro *duorum animalium* non sit legendum *duarum vitarum*. Fac vero LXX et scripsisse et voluisse : *in medio duorum animalium cognosceris*, inde-ne recte confeceris duplicem Habacuci verbis subesse sensum litteralem, quia idem locus in Vulgatâ redditus est : *in medio annorum notum facies?* Minime vero. Quid enim? non eadem verba Græcus et Latinus vertit Interpres, sed uterque diversa. Nam hic necesse est legerit :

בְּקֶרֶב שָׁנִים תּוֹדִיעַ

h. e. *in medio annorum notum facies.*

Græcus vero necesse est legerit :

בְּקֶרֶב שְׁתֵּי חַיּוֹת

h. e. *in medio duorum animalium* (duarum vitarum); nam quod addit *γνωσθησῃ*, proprio marte supplere debuit, pro חַיֵּיהוּ enim legit חַיּוֹת.

Affirmat quidem Goldhagen Latinæ et Græcæ versionis differentiam repeti posse *ex diversâ earumdem vocum Hebraicarum lectione* (2). Sed hoc illi parum attento exciderit. Om-

(1) Supra, pag. 91.

(2) Ut eædem voces Hebraicæ, id est, ut eædem consonantes Hebraicæ, nam hoc vult dicere Goldhagenius, diverso modo legantur, alia atque alia eisdem subjicienda sunt puncta vocalia; sed tum pro varietate vocalium pariter variæ erunt et voces, adeoque non eædem. Quare si ex diversâ ratione legendi Hebraica, repetendam censeret interpretationis Græcæ et Latinæ differentiam, omnino non debuisset eum Habacuci locum adducere tamquam argumentum ad probandum unum eumdemque S.Scripturæ locum multiplicem habere sensum litteralem. Neque enim unus idemque locus est, qui non uno eodemque modo, non eisdem, inquam, verbis legitur.

nino enim nequit fieri ut iisdem litteris consonantibus hebraice exprimas duo hæc : *in medio annorum notum facies*, et *in medio duorum animalium cognosceris.*

Sed hæc sufficiant dicta de objecto Habacuci loco, qui ut fuit ejus tractatio aliquantulo intricatior, sic tamen, ut patet, ad juvandam adversariorum causam nihil plus confert quam cætera quæ ab ipsis adducuntur Sacræ Scripturæ loca ; quæ quidem ad stabiliendam suam de duplici sensu litterali sententiam frustra urgeri, satis, opinor, probatum est.

§ 4. *Ex Evangelio S. Joannis.*

Cap. XI. v. 50 , 51.

Dixerat Caiphas summus eâ tempestate Pontifex : *expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Atqui, inquiunt, duplex hisce verbis subest sensus litteralis ; per ea namque aliud dicere voluit Caiphas, aliud vero Spiritus Sanctus, ut Evangelista notavit. Audio. Ergo si minus cæteri, at hic certe Scripturæ locus favet adversariis? Minime vero. Meminerimus, quod et adversarii nostri docent, ut affirmari possit alicui Scripturæ loco duplicem subesse sensum litteralem, omnino probandum esse Spiritum S. auctorem Scripturæ primarium, uni eidemque loco duplicem subjicere voluisse litteralem intellectum. Atqui verbis a Caiphâ prolatis duplex quidem subest sensus, sed alter a Spiritu sancto, alter vero a Caiphâ intentus. Ergo neque hic locus quidquam juvat adversarios. Quod recte jam viderat Estius. *Adferunt*, inquit, *et illum locum Joannis* (*cap. XI*) : *expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo*, *et non tota gens pereat. In quibus verbis alium sensum cogitavit Caiphas*, *qui erat Pontifex anni illius ; alium intendit Spiritus Sanctus loquens in Caipha. Sed locus ille non premit. Nam facile respondetur illos duos sensus non unius fuisse authoris*, *sed alterum Caiphæ*, *alterum Spiritûs Sancti ; nec utrumque sacrum*, *sed Caiphæ profanum ; et quatenus ab eo profecta sunt illa verba non vera et sacra*, *sed falsa et sacrilega fuisse*, *spectantia ad inferendam necem Christo Domino.*

(1) Cff. Calmet et Theodoret. i. h. l.

Quem sensum Spiritus Sanctus verbis a Caiphâ prolatis subjecerit, Evangelista nos docet, dum, prolato Caiphæ effato, notat (1) : *Hoc autem a semetipso non dixit; sed, cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Sane longe diversus erat animi sensus quem exprimere voluit Caiphas; sed eatenus loquebatur Caiphas non vero Spiritus Sanctus. Frustra igitur ea verba adducuntur tamquam exemplum quo probetur, uni eidemque Sacræ Scripturæ loco duplicem *a Spiritu Sancto*, ejus auctore, subjectum fuisse sensum litteralem. Quod si quis morosior objectaret esse tamen in eo Scripturæ loco duplicem iisdem verbis subjectam notionem litteralem, id quidem fateremur; sed quum non *idem auctor* duplicem eum sensum exprimere voluerit, denuo negaremus quidquam inde proficere multiplicis sensûs litteralis patronos. Itaque qui illud Caiphæ effatum adducunt ad sententiam suam tuendam, non sat scire aut certe non meminisse videntur de quânam tandem re in præsenti quæstione controversia statuatur.

SECTIO TERTIA.

PERPENDITUR ARGUMENTUM DUCTUM EX FORMULA FIDEI EDITA IN CONCILIO LATERANENSI.

Audivimus (vid. sup. pag. 22) Cornelium a Lapide pro suâ sententiâ argumentantem ex auctoritate Lateranensis Concilii. Verba autem Concilii, quæ ob oculos habuit, hæc sunt: *Creator omnium invisibilium, spiritualium et corporalium suâ omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam.*

Ego vero plane nego ex his Concilii verbis ullum posse duci argumentum, quod faciat ad probandum duplicem in S. Scripturâ sensum litteralem.

Ut posset inde duci argumentum, prius certo probanda forent duo hæc : *Unum* hoc, scilicet, voluisse Patres Concilii

(1) S. Jo. Cap. XI. 51. 52.

citatis verbis definire non solum mundum non esse æternum, sed præterea ante mundum conditum nihil a Deo esse creatum; *alterum* vero, sensisse Patres Concilii prædictas duas illas sententias hoc uno Scripturæ vocabulo, IN PRINCIPIO, esse expressas. Atqui neutrum certo probari potest. Nequit, inquam, probari Patres Lateranensis Concilii voluisse docere non solum mundum non esse æternum, sed præterea ante mundum conditum nihil a Deo esse creatum. Nam si hoc docuissent, id constare deberet vel ex ipsis Concilii verbis, vel, si forte ejus verba essent obscuriora, aliunde tamen perspectum exploratumque esse oporteret rem ita se habere. Jam vero nullo modo id constat.

Non ex ipsis verbis Concilii; Patres quidem dicunt, SIMUL *utramque de nihilo condidit creaturam*, sed nihil obstat quominus vocem *simul* ita intelligamus ut idem notet ac *pariter* (1) (q. d. *tam angelicam creaturam quam mundanam, utramque* PARITER *condidit*); quod autem addunt *ab initio temporis*, id, docente Petavio, ita intelligi potest ut significetur creaturam angelicam durationis suæ habuisse principium, non vero æternùm extitisse. *Tempus enim*, ait, *pro omni creatâ duratione non raro sumitur, quæ divinæ æternitati ex opposito respondet* (2).

Nec magis aliunde constat Patres Lateranensis Concilii vo-

(1) Vocula *simul* in eâ significatione frequenter occurrit apud scriptores Latinos, ut docet Forcellini: « *Simul*, inquit, adhibetur etiam pro *similiter*, *pariter*. Cic. Verr. 1.4. *Cujus prætura urbana ædium sacrarum fuit publicorumque operum depopulatio;* SIMUL *in jure dicundo, bonorum possessionumque, contra omnium instituta, addictio.* Plaut. Capt. I. I. 11. *Ubi res prolatæ sunt, cum rus homines eunt*, SIMUL *prolatæ res sunt nostris dentibus.* » Cf. Forcellinii Lexicon ad h. v. Etiam in Vulgatâ nostrâ Bibliorum versione vocabulum *simul* ita adhibetur ut *pariter* notet, verbi gratia Ps. XIII : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Et Ps. XLVIII : *Simul insipiens et stultus peribunt.*

(2) De Angelis, Lib. 1. Cap. XV. — « Non cogimur, ait Berti, accipere *tempus* sensu Arabum Philosophorum et pro solâ mensurâ motûs rerum corporearum, cum alii, etiam e sectis philosophicis, *tempus* describant, quod sit subcisiva quædam duratio rerum, quæ habuerunt initium nec perpetuo extiterunt. Particula vero *simul* significare potest, Deum utramque creaturam *pariter* condidisse. » L. Berti. De Theologicis disciplinis; Lib. X. Cap. VI. Prop. 2.

luisse decernere utramque creaturam, angelicam et mundanam, eodem tempore fuisse conditam(1). Quid quod S. Thomas, quem mens Concilii profecto non latuerit, diserte docet sententiam eorum, qui dicant conditos esse angelos ante corpoream creaturam, pro falsâ non esse habendam (2). Quod profecto non dixisset, si Lateranense Concilium docuisset contrarium. Idem sanctus Doctor in suâ Lateranensis istius decreti interpretatione tradit Concilium docuisse: DEUM SIMUL AB INITIO TEMPORIS UTRAMQUE DE NIHILO CONDIDISSE CREATURAM, ANGELICAM ET MUNDANAM, *ad excludendum errorem Origenis ponentis Deum in principio creasse solas spirituales creaturas, et postea quibusdam earum peccantibus creasse corpora, quibus quasi quibusdam vinculis spirituales substantiæ alligarentur, ac si corporales creaturæ non fuissent ex principali Dei intentione productæ, quia bonum esset eas esse, sed solum ad puniendum peccatum spiritualium creaturarum* (3). De simultaneâ vero utriusque creaturæ productione ne verbum quidem habet Sanctus Thomas in expositione prædicti decreti.

Sed age, fac Concilium citatis verbis reapse decrevisse utramque creaturam eodem tempore fuisse conditam, nihil tamen inde profecissent multiplicis sensûs litteralis patroni. Nam adhuc probandum ipsis incumberet eam Concilii defi-

(1) Vasquezius censet, tantum abesse ut Concilium id decreverit, ut id decernere ne potuisset quidem. *Ut concilium*, inquit, *definiret hanc veritatem, niti deberet aut Scripturâ, aut traditione, aut ratione ex principiis fidei deductâ; nullo autem horum niti potuit*. Vid. Vasq. in 1. 1. quæst. 61. art. 3. Disp. 224. Cap. 3.

(2) Vid. Summæ 1. 1. q. 61. art. 3.

(3) Vid. Opusc. S. Thomæ, opuscul. XXIII. Legitur vol. XVII operum S. Thomæ edit. Cosmæ Morelles, Antverp. 1612. Ex illis S. Thomæ verbis conjici posset Patres Lateranensis Concilii dicendo Deum *simul utramque de nihilo condidisse creaturam*, vocabulum *simul* accepisse in eum sensum, quo illud *simul* occurrit in hoc Ecclesiastici Cap. 18: *qui vivit in æternum creavit omnia* SIMUL, ad quem Sacræ Scripturæ locum etiam respexerint. Ibi autem vocabulum *simul*, quum Græco *κοινῇ* respondeat, sumere potuerunt eo sensu ut significet *pari consilio*, *pari intentione*. Nam Græcum *κοινῇ*, quod ellipticum est et *plene* legi potest *κοινῇ βουλήσει* (cff. Lamberti Bos Ellipses Græcæ, edit. Schaefer, p. 84), eum intellectum non recusat.

nitionem innixam esse his S. Scripturæ verbis : IN PRINCIPIO; et porrò eadem verba ex mente Concilii duplicem hunc habere intellectum, ut scilicet significent *et* mundum non esse æternum sed aliquando incœpisse, *et* ante mundum conditum creatum esse nihil. Hoc vero audacter quidem affirmant, sed nullo argumento probant, ut nihil obstet quominus etiam audacter negemus quod cupidius ab ipsis statuitur.

Ad hoc argumentum, quod patroni multiplicis sensûs litteralis ducunt ex verbis Lateranensis Concilii, Rev. P. Patritius ita breviter respondet (1) : *Non equidem negaverim*, inquit, *patribus Lateranensis Concilii, quum hæc credenda decernerent, ante oculos testimonium illud Moysis obversatum fuisse; videas tamen istud ne memorari quidem, nedum produci a Concilio. Quod si productum fuisset, arbitror nos in eo Concilii decreto non solum voces* IN PRINCIPIO *lecturos fuisse, sed* IN PRINCIPIO CREAVIT, *ita ut ex vocibus* IN PRINCIPIO *concluderetur nihil ante mundum fuisse creatum; mundus vero ipse esse cœpisse, non ex his vocibus sed ex verbo* CREAVIT *argueretur.*

SECTIO QUARTA.

PERPENDUNTUR ARGUMENTA DUCTA EX AUCTORITATE THEOLOGORUM SCHOLASTICORUM.

Postquam ea quæ ex sanctorum Patrum scriptis in præsenti quæstione afferuntur ad examen revocassem, planeque perspexissem falso eos citari tamquam patronos sententiæ quam oppugnamus, jam vel ideo vehementer cœpi dubitare an doctrina scholasticorum multiplici sensui litterali patrocinaretur. Etenim difficulter poteram in animum meum inducere, quam doctrinam universa ignorabat antiquitas, eam medio ævo fuisse traditam communi Theologorum consensu. Quod vero mente præsagiebam, illud, instituto examine, verissimum esse comperi. Scilicet tantum abest ut doctrina Scholasticorum faveat adversariorum sententiæ, ut contra disertis verbis eidem adversetur.

(1) Cit. op. pag. 21.

Sed quum duo hic mihi facienda incumbant, alterum ut explicatius tradam quæ Theologorum in medio ævo circa præsentem quæstionem fuerit doctrina, alterum vero ut expendam an jure nec-ne adversarii glorientur a suis partibus stare sanctos Bonaventuram et Thomam, in re ita versabor, ut de horum, maxime Thomæ, circa præsentem controversiam sententiâ operosius sim disputaturus, postquam primo loco exposuero quid medii ævi Theologi, qui de Sacræ Scripturæ interpretatione egerunt, de multiplici sensu litterali docuerint.

§ I. *Exponitur Theologorum medii ævi de præsenti questione doctrina.*

α) *Doctrina Henrici a Gandavo.*

Henricus Gandavensis Summæ (1) suæ articulo XVI, ubi agit de Biblicâ interpretatione, nuspiam docet alicubi in Sacrâ Scripturâ agnoscendum esse duplicem sensum litteralem. Docet quidem (quæst. 2) Scripturam *in dictis suis diversas habere expositiones*, sed hæc ita sunt intelligenda ut putetur asserere, præter sensum *litteralem unicum*, verbum Dei passim habere etiam sensum *spiritualem* (2). Atque hanc mentem esse Gandavensis manifesto constat ex ejus responso ad objecta.

« *Ad primum in oppositum, quod simplicior est sermo habens unicam expositionem quam plures, et similiter ad secundum quod sermo habens plures expositiones est sermo multiplex et sophisticus; dicendum quod diversitas expositionum contingit*

(1) Summæ quæstionum ordinariarum Theologi recepto præconio Solemnis Henrici a Gandavo. Venumdatur in ædibus Jodoci Badii Ascensii.

(2) *Scientia ista*, inquit (ibid. quæst. 3), *non solum loquitur vocibus sicut aliæ, sed etiam loquitur rebus. Ex factis autem et gestis illorum* (sc. *credibilium, diligibilium et sperandorum*) *notitia insinuari non potest, nisi gestis ipsis primo in se litteraliter percognitis. Duplex igitur expositio Scripturæ Sacræ nobis in primis necessaria est. Una ad cognoscendam veritatem rei in ipsis factis et gestis, quibus alia intelligenda nobis insinuantur, quæ appellatur expositio historica sive literalis, supra quam debet fundari expositio spiritualis. Alia vero ad cognoscendum illa qua per facta et gesta hujusmodi intelligenda insinuantur, quæ appellatur expositio mystica sive spiritualis.*

dupliciter : vel secundum eamdem rationem intelligendi et significandi, vel secundum aliam et aliam rationem significandi et intelligendi. Diversitas expositionum primo modo solummodo est in sermone multiplici, videlicet quia sub eâdem voce, sive complexâ sive incomplexâ, significantur plura vel consignificantur, et iste sermo est sophisticus. Sed talis diversitas expositionum non est illa quæ competit huic scientiæ, sed quæ fit secundum aliam atque aliam rationem; quia videlicet expositio historica fit secundum significationes vocum, expositiones vero mysticæ secundum significationes rerum, et diversæ circa eamdem rem propter diversas proprietates ejus; et talis diversitas non facit omnino sermonem esse sophisticum neque multiplicem : imo sub æquali simplicitate sermonis, quâ in aliis scientiis solum sensus unus continetur, continentur in istâ scientiâ sensus plures. Hactenus Doctor Solemnis, qui, ut patet, sermonem, qui multiplicem haberet sensum litteralem, ultro fatetur vocandum esse sermonem *sophisticum*, quem negat in Sacris Scripturis esse agnoscendum. Negat fieri ut in Scripturis Sacris *per eadem verba plura simul consignificentur*; negat ergo multiplicem sensum litteralem. Imo diserte docet non plures quam unum in Scripturis agnoscendos esse sensus litterales, ut patet ex eo quod dicit, si sermo sit de litterali verborum significatione sive sensu, eamdem esse rationem Sacræ Scripturæ quam quorumvis aliorum librorum. Nam in hanc sententiam accipiendum est quod dicit Doctor Solemnis : *sub æquali simplicitate sermonis*, sicut ex contextâ ejus oratione manifesto constat.

Atque hæc dicta sint de Henrico Gandavensi.

β) *Doctrina Alberti Magni.*

Albertus Magnus de interpretatione Sacrarum Scripturarum bis egit; scilicet in suo Commentario in *I Librum Sententiarum* (Distinct. 1. art. 5) (1), et iterum in primâ parte *Summæ suæ Theologicæ* (Tract. 1. q. 5. membro IV) (2). Atqui etsi datâ

(1) Beati Alberti Magni Commentarii in 1 Lib. Sententiarum. Leguntur in edit. oper. omn. Lugdun. 1651, tom. XIV.

(2) Oper. omn. Tom. XVII ejusd. edit.

operâ in citatis locis de re tractet, tamen de multiplici aliquo sensu litterali ne unum quidem verbum habet. Unde jure merito concludere licet multiplicem istiusmodi sensum ab Alberto minime fuisse agnitum. Sed quod rem plane conficit, alibi (1) diserte fatetur, si sensus litterales plures quam unus Scripturæ verbis essent tribuendi, æquivocum fore ejus sermonem, idque docet nequaquam esse dicendum. Negat ergo Sacræ Scripturæ multiplicem subesse sensum litteralem. Scilicet objectum erat Theologiam *uti æquivocis*. Respondet autem : *hoc non facit theologia*; *unam enim vocem ad unum refert significatum*. Ex quibus evidenter patet, Albertum Magnum negasse Sacræ Scripturæ verbis sensus litterales plures quam unum esse tribuendos.

γ) *Doctrina Alexandri de Ales.*

Audiatur etiam Alexander de Ales. Agit de eo, utrum ratio sciendi sit nec-ne certior in aliis scientiis quam in theologicâ. Inter alia vero et hoc sibi objicit : *Certior est* (scientia), inquit, *quæ per univoca et simpliciter dicta tractatur, quam alia quæ per æquivoca et multipliciter dicta, quia ex his dubia sententia generatur. Relinquitur ergo quod certior est modus in aliis scientiis quam in theologicâ.* Ad hoc objectum vero ita respondet : *Ad ultimum dicendum, quod alius est modus certitudinalis in scientiâ traditâ secundum spiritum humanum ac in scientiâ traditâ secundum spiritum divinum. Illa enim est coartata* (sic) *secundum intellectum unum per modum spiritûs humani, qui simul et semel non intelligit nisi unum*; *in istâ vero non est coartatio*; *quia Spiritus divinus, secundum quem tradita est, est unicus multiplex, sicut dicitur Sap. VII. Et ideo hic modus est in Scripturâ S., ut sit* UNICUS SENSUS LITTERÆ, *multiplex vero in mysterio* (2). Et paulo post idem dicit : *Cum veritas prima trina sit et una, modus scientiæ veritatis primæ est trinus in uno:*

(1) Ibid. 1 parte Summæ Theolog. Tract. 1. q. 5. membro 2. *ad ultimum.*

(2) Alex. de Ales, Summæ 1. partis q. 1. membro 4. art. 2. *ad ultimum.* Usus sum edit. *Per Joânem antonium de birretis ac Frâciscum gyrardenghum, Papie* MCCCCLXXXIX die XI Julii.

UNUS LITTERALIS, *triplex spiritualis : anagogicus, qui est sursum ducens in primum principium ; allegoricus, qui est enunciativus archanorum* (sic) *primæ veritatis; tropologicus vel moralis, qui est ordinativus ad summam bonitatem* (1). Hactenus Doctor *Irrefragabilis*, qui, ut mihi videtur, adeo diserte docet non plures quam unum in Sacris Scripturis agnoscendos esse sensus litterales, ut ejus verba nullo commentario indigeant.

δ) Doctrina Nicolai de Lirâ.

Liranus ille in scriptis suis bis, quantum videre potui, affirmat *unam litteram plures continere sensus*, sed neuter locus favet adversariis; imo vero doctrina, quam pandit in *Prologo secundo in Postillam Bibliæ*, ejusmodi est ut illum multiplicem sensum litteralem, de quo in præsenti dissertatione disputamus, sat luculenter excludat.

In *Prologo primo in Postillam Bibliæ* hæc scribit : *Habet iste liber* (Sacra Scriptura) *hoc speciale, quod una littera continet plures sensus. Cujus ratio est, quia principalis hujus libri auctor est ipse Deus, in cujus potestate est, non solum uti vocibus ad aliquid significandum* (*quod etiam homines facere possunt et faciunt*), *sed etiam rebus significatis per voces utitur ad significandum alias res : et ideo commune est omnibus libris quod voces aliquid significent, sed speciale est huic libro quod res significatæ per voces aliud significent. Secundum igitur primam significationem, quæ est per voces, accipitur sensus* LITTERALIS *seu historicus; secundum vero aliam significationem, quæ est per ipsas res, accipitur sensus* MYSTICUS *seu spiritualis, qui est triplex in generali: quia si res significatæ per voces referantur ad significandum ea quæ sunt in novâ Lege credenda, sic accipitur sensus allegoricus; si autem referantur ad significandum ea quæ per nos sunt agenda, sic est sensus moralis vel tropologicus; si autem referantur ad significandum ea, quæ sunt speranda in beatitudine futurâ, sic est sensus anagogicus..... Scriptura exterior est sensus litteralis, qui est patentior, quia per voces immediate significatur; Scriptura autem interior est sensus*

(1) Ibid. art. 4. in corpore.

mysticus vel spiritualis, qui est latentior, quia per res significatas vocibus designatur (1).

Quæ sane tam perspicua sunt ut nemini in mentem venire possit Liranum, dum hic dicit *unam litteram continere plures sensus*, docere voluisse ejusmodi aliquid, quale est id quod defendunt patroni multiplicis sensûs litteralis.

In *Prologo secundo* hæc Lirani de re nostrâ verba leguntur : *Considerandum est*, inquit, *quod eadem littera aliquando habet duplicem sensum litteralem; verbi gratia*, I *Paralip. XVII, dicit Dominus de Salomone : Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium. Et intelligitur de Salomone ad litteram, in quantum fuit filius Dei per adoptionem in juventute; propter quod Nathan propheta vocavit eum amabilem Domino, ut habetur secundo Regum XII. Prædicta etiam auctoritas : Ego ero illi in Patrem, etc., inducitur ab Apostolo ad Hebræos tamquam dicta de Christo ad litteram; quod patet ex hoc, quia Apostolus inducit eam ad probandum quod Christus fuit major Angelis; talis autem probatio non potest fieri per sensum mysticum, ut dicit Augustinus contra Vincentium Donatistam, ut supra allegatum est. Prædicta enim auctoritas impleta fuit ad litteram in Salomone, minus tamen perfecte, quia fuit Dei filius per gratiam solum; in Christo autem perfectius, qui est Dei filius per naturam. Licet autem utraque expositio sit litteralis simpliciter, secunda tamen, quæ est de Christo, spiritualis et mystica est secundum quid, in quantum Salomon fuit figura Christi* (2).

Ex his patet Liranum, etsi dicat *eamdem litteram aliquando habere duplicem sensum litteralem*, minime tamen patrocinari causæ quam oppugnamus. Nempe, quem ille statuit multiplicem sensum litteralem, nequaquam idem is est, quem docent adversarii nostri. Quid Liranus sibi voluerit manifesto cuique constabit, si attendere velit ad rei exemplum quod profert ad doctrinam suam dilucidandam. Quæ verba vulgo theologi du-

(1) Biblia sacra cum Glossâ ordinariâ a Strabo Fuldensi Monacho Benedictino collecta, novis PP. Græcor. et Latin. explicationibus locupletata et Postillâ Nic. Lirani Franc. cum additionibus Pauli Burgensis Episc. ac Matthiæ Thoringi replicis. Antverp. 1634. T. 1. Prolog. 1.

(2) Op. cit. ibid. Prolog. secundo.

plicem sensum, litteralem unum, alterum vero mysticum sive typicum habere docent, ea Liranus mavult dicere *duplicem* habere sensum *litteralem.* Scilicet in falsâ hâc persuasione versabatur, ut crederet non nisi e litterali Scripturæ sensu efficax duci argumentum theologicum. Quum ergo videret loca Scripturæ qualia sunt v.g.*Ego ero illi in Patrem,* etc., tamquam probationes theologicas in Novo Testamento ad Christum referri, quæ tamen loca in Veteri de alio erant dicta, istiusmodi locis duos sensus litterales affinxit; id vero fecit quasi invito suo judicio, ut arguitur ex eo quod de similibus Scripturæ locis dicit : *Licet utraque expositio sit litteralis simpliciter, secunda tamen, quæ est de Christo, spiritualis et mystica est secundum quid, inquantum Salomon fuit figura Christi.* Nam quî tandem, quæso, cogitaveris alicujus Scripturæ loci expositionem, quæ sit, ut vult Lyranus, *litteralis* SIMPLICITER *et mystica* SECUNDUM QUID? Etenim utraque hæc interpretatio alteram absolute excludit, ut conficitur ex utriusque sensûs, litteralis et mystici, definitione, quam rectissime tradit Liranus (vid. supra pag. 104). Fraudem ei fecit, opinor, quod non animadvertit, aliud esse Scripturam aliquam *litteraliter dici* de aliquo, aliud vero *litteraliter impleri* in aliquo. Quare Rev. P. Patritius de sensu typico agens rectissime scripsit : *Impleri* AD LITTERAM *non idem est ac significari* SENSU VERBORUM LITTERALI. *Verba enim sententiarum et oraculorum, quæ spiritalem quoque sensum continent, talia sint oportet, ut seorsim sumpta atque a toto sermone divulsa ac per se ipsa spectata, ita rei, ad quam sensus spiritalis pertinet, congruant, ut illam significare possint etiam secundum litteralem suam significationem, sive propria hæc sit, sive translata. Nam illa* : Nec os illius confringetis (1), *et* Ego ero ei in patrem et ipse mihi erit in filium (2), *et* Ex Ægypto vocavi filium meum (3), *aliaque hujusmodi talia sunt, ut eorum quodlibet, si per se ipsum illud spectemus, non autem secundum significatum quem habet in vetere Testamento, optime congruat Christo, deque eo dici possit*

(1) Exod. XII. 46.
(2) 2 Reg. VII. 14.
(3) Ose. XI. 1.

secundum sensum litteralem; atque ideo, quum id factum est, quod de Christo per ea prænuntiatum fuerat, dici hæc eadem potuerunt ad litteram *impleta esse* (1).

Obiter hic observamus, errare Liranum dum dicit (2), Augustinum docere *ex solo Scripturæ sensu litterali et non ex mystico fieri posse argumentum ad probationem.* Nequaquam hoc docuit Augustinus. En verba sancti Doctoris quæ ob oculos habuit Liranus : *Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in allegoriâ positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura* (3)? Quibus verbis Augustinus obstruit os impudens Donatistarum, qui eo loco Cantici, ubi dicitur : *indica mihi ubi cubes in* MERIDIE (4), abutebantur ad probandum apud se, in Africâ, veram tandem esse Ecclesiam, quum Africa ad meridiem sita sit (5).

Sed, ut mihi videtur, ne certo quidem dici potest, Augustinum in verbis supra adductis *sermonem habere* de sensu spirituali sive mystico. Nam quod dicit, *aliquid in allegoriâ positum,* id quidem ita videtur esse sumendum, quasi dixisset : *aliquid in metaphoricâ locutione positum.* Agitur enim de interpretatione dictionis *in meridie;* atqui hanc vocem metaphorice accipiendam esse manifesto docet, quum eum Cantici locum sic explicet : *Annuntia mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Quid significat meridies? Magnum fervorem magnumque splendorem. Ergo notum fac mihi, qui sint sapientes tui, spiritu ferventes et doctrinâ fulgentes* (6).

Attamen, etiamsi demus Augustinum de mystico sensu agere in loco a Lirano allato, nec sic tamen quis jure inde conficiat, negasse Augustinum duci posse ex sensu spirituali firmum ad probandum argumentum. Neque enim ibi *universe* negatur, valere ad probandum quod ducitur argumentum ex verbis *in allegoriâ positis*, sed tantum quando *non habentur*

(1) F. X. Patritii de interpretatione S. Script. vol. 1. p. 50.

(2) Vid. supra pag. 105.

(3) S. Aug. ad Vincentium Rogatistam. Epist. 93. c. VIII. Ed. Bened.

(4) Cantic. Canticor. Cap. 1. v. 6.

(5) Cf. S. Aug. Cap. XV Sermonis 46, de Pastoribus, in Ezech. cap. 34 ; et Sermonis 138 (al. 50) de verbis Ev. Jo. Cap. 7. 8 et 9.

(6) Ibid. de verbis Ev. Jo. Cap. 7.

manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura. Profecto non negaverit Augustinus valere probationem ductam ex mystico alicujus Scripturæ sensu, quem a Spiritu Sancto verbis suis subjectum fuisse, certâ auctoritate constaret. Sed hæc dicta hoc loco sufficiant; nam quum non eâ de re nostra instituta sit disputatio, nolumus rem plenius tractare.

ι) *Doctrina Pauli Burgensis.*

Mentem suam circa præsentem quæstionem aperit Burgensis in *Additionibus ad postillam Magistri Nicolai de Lira super Biblia* (1), his verbis: *Item quantum ad simplicem expositionem Scripturæ, quæ ex primariâ vocis significatione consurgit, manifestum est, quod plures sensus litterales traduntur, non solum ab expositoribus seu scriptoribus communiter, sed etiam a doctoribus sanctis, ut patet Gen. I, in quo loco, ut Magister dicit in 2 Dist. XIII, quidam sanctorum patrum, qui verba Dei atque arcana scrutati sunt, quasi diversa videntur scripsisse. Et sic patet quod non cujuslibet textûs Sacræ Scripturæ sit tantum unus sensus litteralis. Si autem dicatur contra hoc, quod, licet diversi diversos sensus attribuant alicui litteræ sacræ, non ex hoc sequitur quod sint plures sensus litterales talis litteræ, sed quod tantum ille est litteralis quem intendit auctor. Ad hoc dicendum secundum sanctum Thomam* (2) : *Quia auctor Sacræ Scripturæ Deus est, qui simul omnia suo simplici intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut Augustinus dicit* (*in XII Confessionum*), *si etiam secundum litteralem sensum Sacræ Scripturæ plures sint sensus. Quod intelligendum est, dum tales sensus sint litteræ conformes, et quod determinationi Ecclesiæ seu rectæ rationi non repugnent; similiter et quod sint invicem compassibiles. Cum autem contingat duos sensus litterales secum impassibiles alicui sacræ auctoritati attribui, necesse est dicere quod tantum alter eorum est litteralis.*

Ex his quid circa quæstionem quam tractamus Burgensis docuerit facile est colligere. Nempe nullo modo docet *reapse*

(1) Vid. *Bibl. sacr. cum Glossâ* etc. ut supra p.105; post *Prologos* Lirani.
(2) I Part. q. 1.Art. X.

alicubi in Sacris Scripturis multiplicem sensum litteralem esse agnoscendum; sed dum dicit variam sæpe esse alicujus scripturæ interpretationem, unà affirmat *fieri posse* ut uni eidemque Sacræ Scripturæ loco plures a Spiritu sancto subjecti sint sensus litterales. Hoc autem *fieri posse* ideo affirmat, quia id, docente Augustino, *non est inconveniens*; quod quid significet supra declaravimus (1).

ζ) *Doctrina Alphonsi Tostati.*

De vario Sacræ Scripturæ sensu prolixe loquitur Tostatus in suo Commentario in Matthæum, sed litteralem sensum multiplicem, de quo in præsenti controversiâ agitur, ne memorat quidem. Quare fallitur Josephus de Turre (2), quum hunc laudet inter patronos multiplicis sensûs litteralis. Asserit quidem Tostatus *eamdem Scripturam interdum habere duos sensus litterales;* sed ex rei exemplis quæ ibi affert manifesto patet, ab eo auctore vocari sensum litteralem ET eum, quem omnes ita vocamus, ET illum, qui apud Theologos vulgo *typicus* audit, qui quum non exprimatur per verba, sed per res aut personas verbis significatas, profecto *litteralis* sensus dici nequit. Scilicet habendus est Tostatus in numero eorum, qui, ut scite animadvertit Medina (3), *quum non satis magnis rationibus sibi persuasissent a solo litterali aut historico sensu efficax argumentum necti, viderent autem bonam Evangelicæ œconomiæ partem in iis locis a sanctis auctoribus collocari, quæ illic, unde proferuntur, suos quoque historicos sensus apertos habent, protinus ad multiplicem hunc litteralem intellectum vel inviti confugiebant.* Versabatur Tostatus in eâ etiam falsâ opinione ut crederet, si qua Scriptura alicubi dicitur esse impleta, omnino oportere id, quod prædictum erat, prædictum esse secundum sensum litteralem.

(1) Vid. supra pag. 44.
(2) Institutt. ad verbi Dei scripti intelligentiam, Tract. III. Quæst. 3. art. 7.
(3) De rectâ in Deum fide. Lib. VI. c. 25. p. 222-23. Cff. quæ scripsimus supra p. 6—7.

Sed jam, age, ipsum Tostatum loquentem inducamus, ut quæ de ipso narravimus vera esse demonstremus. In duobus suorum commentariorum locis eâ de re loquitur vir eruditissimus, scilicet ad Matthæi caput secundum, quæstione LVII, et iterum ad caput decimum tertium, quæstione XXVIII. Et priori quidem loco agit de verbis Oseæ : *Ex Ægypto vocavi filium meum*, quæ secundum sensum litteralem de populo Israelitico dicta esse dubitare non sinit contexta Prophetæ oratio; hæc autem verba in Christo adimpleta fuisse sanctus Matthæus plane docet, dum dicit : *Accepit* (Joseph) *puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis; ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum* (1). Itaque circa illud vaticinium, *necesse est*, inquit Tostatus, *illud intelligi de Christo* AD LITTERAM... *Si diceretur Scriptura compleri in sensu mystico, liceret argui ex illo sensu, quia ex hoc quod aliqua scriptura completa est vel non completa, est magnum argumentum, imo tota vis arguendi et veritas, ideoque liceret argui ex mystico, et esset argumentum efficax. Item non stat, quod compleatur aliqua scriptura in mystico...... In solo ergo sensu litterali Scriptura completur. Et tamen hic dicitur, quod completa est prophetia ista, quando Christus de Ægypto reductus est. Ergo istud intendebat propheta, et est sensus litteralis... Si autem Judæus dicat quod non intelligitur de Jesu, sed de populo Israel, non possumus eum cogere, cum verum sit quod etiam intelligatur de populo Israel, et non habemus probationem nisi dictum Matthæi, cui Judæus non credit. Considerandum autem est, quod istud dictum Oseæ intelligitur de Christo, et de populo Israel, et de utroque in sensu litterali : quia multa sunt hujusmodi in Sacrâ Scripturâ, quæ habent duos sensus litterales; et unum intendit Scriptura magis principaliter et alium minus; nemo tamen illorum est mysticus; sicut patet Exod. XII, ubi dicitur de agno Paschali : Os non comminuetis ex eo ; intelligitur autem ad litteram de agno paschali, cujus ossa non erant frangenda ad comedendum medullas eorum, sed integra manere debebant et solæ carnes comedi. Intelligitur etiam ad litteram de*

(1) Matth. Cap. II. v. 15. Israelem typum gessisse Messiæ notum est.

Christo, qui etiam erat agnus paschalis; *et dicitur Jo. XIX quod crura latronum, qui cum Christo crucifixi sunt, confracta fuerunt, ut citius morerentur; ad Christum autem cum venissent, videntes eum mortuum, non fregerunt crura ejus. Et dicit ibi beatus Joannes quod hoc factum est, ut impleretur Scriptura, scilicet, Os non comminuetis ex eo. Et sic oportet intelligi, quod in sensu litterali dictum fuit illud de Christo*; *quia alias non diceretur impleri Scriptura per hoc*; *cum probatum sit, quod Scriptura non dicitur impleri in sensu mystico, sed solum in litterali; quia alias Evangelistæ non allegarent, nisi Scriptura illud intendisset. Quidquid autem Scriptura intendit, sensus litteralis est*; *quod autem nos applicamus Scripturæ, est sensus mysticus* (1).

Et alibi : *Interdum*, inquit, *eadem scriptura habet duos sensus litterales, et hoc quia utrumque eorum intendit per ipsam litteram significare auctor ejus, juxta illud Exod. XII, ubi de agno Paschali dicitur: Os non comminuetis ex eo*; *nam intelligitur ad litteram de agno Paschali, ... et etiam ad litteram intelligitur de Christo patiente..... Et ita illud 2 Reg. 7, Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, ad litteram intelligitur de Salomone, de quo Scriptura loquitur ibi, et etiam de Christo intelligitur ad litteram, sicut illud allegat Apostolus ad Hebræos..... Si intelligeretur de Christo in sensu allegorico, non induceretur in probationem, quia sensus mystici non probant* (2).

Ex his, opinor, luculentissime patet, quid sibi voluerit Tostatus, dum docuit *unam eamdemque Scripturam plures interdum habere sensus litterales.* Sed, quod paulo ante circa Tostati doctrinam jam monui, de eo multiplici sensu litterali, de quo in præsenti controversiâ instituta disputatio est, ne verbum quidem habet Tostatus; quod utique, quum tamen datâ operâ agat (3) de vario Sacræ Scripturæ sensu, firmissimo argumento est eum istiusmodi sensum minime agnovisse.

Atque hæc de doctrinâ Theologorum medii ævi circa præsentem controversiam dicta volui. Hi quam minime faveant sententiæ quam oppugnamus, ex iis quæ ex scriptis eorum

(1) In Matth. cap. II. quæst. 57.
(2) In Matth. Cap. XIII. quæst. 28.
(3) Ibid.

allegavimus, nemo non facile perspexerit. Attamen adversarii nostri duos ex eo ævo Theologos, viros sane gravissimos, sanctos scilicet Bonaventuram et Thomam adducunt, tamquam ejus, quam tuentur, causæ patronos. Ergo superest, nam hoc instituti nostri ratio fert, ut hi jure-ne an injuriâ advocentur perpendamus; quod præstabimus paragrapho sequenti.

§ II. *Penditur argumentum ductum ex doctrinâ SS. Bonaventuræ et Thomæ.*

a) Doctrina S. Bonaventuræ.

Bonaventuram tamquam patronum multiplicis sensûs litteralis adducit Gaudentius quidam Bontempus (1). Affirmat is (2) Bonaventuram in alium atque alium sensum litteralem accepisse tum Geneseos verba hæc : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, tum etiam id quod Psalmo II dicitur : *Ego hodie genui te.*

Verum, quod attinet ad priorem locum, docet quidem Sanctus Doctor dictionem *in principio* alio atque alio modo *posse* exponi , sed nequaquam affirmat eidem multiplicem ab auctore Scripturæ subjectam esse notionem. Bonaventuræ verba hic apponimus. Quæsitum erat, *pro quo supponeret ille terminus* PRINCIPIO, *utrum pro creato an pro increato.* Respondet autem : *Dicendum quod tripliciter potest accipi. Uno modo ut dicat pure ordinem, et sic idem est facere in principio et facere ante alia, ita quod connotet privationem respectu alicujus temporalis prioris, et connotet præpositionem posterioris. Alio modo potest importare habitudinem mensuræ, et tunc* IN PRINCIPIO *idem est quod in primo instanti temporis. Tertio modo potest importare habitudinem causæ, et tunc sensus est,* IN PRINCIPIO, *id est, in Filio dicitur creasse..... Omnes istæ expositiones veræ sunt et catholicæ, et per eas eliduntur tres errores circa mundi*

(1) Didici hoc ex P. Patritio, De interpretatione Script. Sacr. Lib. 1. pag. 36. Romæ 1844.

(2) Pallad. theologic. P. 1. T. 1. disp. prooemial. II. 9. 10.

productionem (1). — Obiter observo a S. Bonaventurâ tres illas interpretationes *omnes veras* dici, quatenus in nullâ earum aliquid dicitur quod in se falsum sit; quam ob causam eas etiam vocat *catholicas*. Cave vero putes, ideo ab eo dici *veras omnes*, quasi in eâ fuisset sententiâ ut crederet Spiritum Sanctum voluisse tres diversas illas unius vocabuli notiones simul exprimere (2). Animadvertant adversarii a Bonaventurâ non dici verba illa IN PRINCIPIO in triplicem sententiam ESSE *accipienda*, sed POSSE tripliciter *accipi*.

Quod vero attinet ad alterum Scripturæ locum : *Ego hodie genui te*, quem affirmat Gaudentius acceptum fuisse a Bonaventurâ in multiplicem sensum litteralem, in eo sane a vero aberravit. Ad quod probandum satis erit recitasse Bonaventuræ verba.

Nempe sanctus Doctor hoc sibi dubium proponit : *Quæritur*, inquit, *quomodo intelligatur illud* EGO HODIE GENUI TE; *quia potest intelligi de die quo ex matre natus est; sed hoc nihil videtur valere, quia secundum hanc generationem non habuit patrem sed tantum matrem. Respondeo dicendum*, ita pergit, *verbum illud* (genui) *intelligendum esse causaliter; secundum enim generationem ex matre dicitur genuisse, quia fecit generari. Similis expositio super illud Matthæi* (cap. 3) : *Potens est de lapidibus illis suscitare filios Abrahæ. Glossa : in hujus testimonium rei Deus de Sarâ genuit filium, id est, fecit generari* (3). Quid, quæso, hic legitur quod multiplicem sensum litteralem sapiat? Quod sciam, Bonaventura nuspiam in suis scriptis datâ operâ egit de interpretatione Sacrarum Scripturarum. In suo tamen Commentario in Lib. IV Sententiarum quædam leguntur de sensu litterali ab eo dicta, ex quibus, ut mihi quidem videtur, jure quis conficiat Bonaventuram minime favisse sententiæ quam adversarii nostri tuentur.

Agitur de verbis Apostoli (1 Cor. III. 12) : *Si quis autem*

(1) S. Bonav. in Lib. 2. Sentent. Distinct. 1. p. 1. dub. 2. Oper. omn. Tom. 2. ed. Venet. 1753.

(2) Cff. quæ notavimus supra p. 40, in subjectâ notâ ordine decimâ, de Augustino distinguente inter id quod *in se verum* est, et illud *verum*, quod auctor *θεόπνευστος* voluit exprimere.

(3) S. Bonavent. in Lib. 1. Sentent. Dist. IX. Dub. IX.

superædificat ligna, fœnum, stipulam; ad quæ hæc habet Bonaventura :

Videtur, inquit, *per hoc intelligere venialia. Sed contra : Væ qui conjungitis domum ad domum, etc. Glossa Hieronymi : Hæretici dogmata dogmatibus conjungunt; et qui supra fundamentum debuerunt ædificare aurum et argentum et lapides pretiosos, e contra ædificant lignum, fœnum et stipulam. Sed constat quod hæretici in fictione dogmatum suorum mortaliter peccant; ergo istud non intelligitur de venialibus. Item quæritur quo tropo dicantur venialia lignum, et fœnum, et stipula; et cum multæ sint venialium differentiæ, quo modo ad tres possint reduci.*

Et respondendum est ad hoc, quod una Scriptura multis modis potest exponi : unus quidem est principalis et litteralis intellectus, plures tamen esse possunt per adaptationem. Litteralis autem intellectus, secundum quod patet ex Glossâ et litterâ sequenti, est de venialibus. Sed Hieronymus quamdam adaptationem exponit. Si quæratur ratio hujus intellectûs, dicendum quod Apostolus loquitur de venialibus, inquantum sunt cremabilia. Cremabile autem quod præstat pabulum et consumitur ab igne, in triplici differentiâ est. Quoddam enim est quod durat diutius, quoddam citissime consumitur, quoddam medio modo. Primo modo dicitur lignum, secundo modo dicitur stipula, et tertio modo dicitur fœnum, quod tenet medium inter utrumque extremum (1).

Quum hic de litterali sensu agat Bonaventura, quod dicit *multis quidem modis posse exponi unam eamdemque Scripturam, unum tamen esse litteralem ejus intellectum*, id profecto arguit eum minime credidisse uni eidemque Sacræ Scripturæ loco plures interdum subjectos esse sensus litterales. Sed jam Thomam audiamus.

b) *Doctrina S. Thomæ.*

Omnino quatuor ex Thomæ operibus proferuntur loca, quæ, si adversariis credimus, perspicue doceant S. Doctorem cum ipsis sensisse. Loca hæc sunt : *α*) Quodlib. VII. q. 6. — *β*) in 2 Sent. Dist. 12. art. 2. ad 7.— *γ*) de Potentiâ, q. 4.

(1) In Lib. IV Sentent. Distinct. XXI. part. 1. Dub. 1.

a. 1. — δ) Summæ p. 1. q. 1. art. 10. — Quæ quo ordine hic fuere recensita, eodem etiam singula lustrabimus.

α) *Quodlib. VII. quæst.* 6 (1).

Sanctus Doctor ibi disputat *de sensibus Sacræ Scripturæ* per tres continuo articulos satis prolixos; atque ita ut in 1° quærat : *Utrum in eisdem verbis Sacræ Scripturæ lateant plures sensus*; in 2° *Utrum debeant distingui quatuor sensus Sacræ Scripturæ* (scilicet, *litteralis*, *allegoricus*, *moralis et anagogicus*); in 3° *Utrum in aliis scripturis* (puta non sacris seu profanis) *prædicti sensus distingui debeant.* Itaque de hoc jam nemo dubitat, quin sanctus Thomas deditâ operâ, seu *ex professo*, uti aiunt, eo loco agat de interpretatione Sacrarum Scripturarum; attamen ne uno quidem verbo ibi memorat multiplicem aliquem sensum litteralem.

Sed hoc negant adversarii. Scilicet in responso ad quæstionem : *utrum debeant distingui quatuor sensus Sacræ Scripturæ*, sanctus Doctor de sensu litterali dixerat : *Manifestatio quæ est per verba facit sensum historicum sive litteralem; unde totum id ad sensum litteralem pertinet, quod ex ipsâ verborum acceptione recte accipitur* (2). Illud *totum id*, etc., avidi arripuerunt, quo demonstrarent a suis partibus stare Thomam. Sed hoc cupidius quam verius statuerunt. Etenim, si multiplicem sensum litteralem hic docere voluisset Thomas, quis credat eum non apertius de re fuisse locutum, præsertim quum, quod jam dixi, eo loco deditâ operâ agat de sensibus Sacræ Scripturæ.

Accedit, Thomam non dicere OMNE ID *ad sensum litteralem pertinet quod ex ipsâ verborum acceptione recte accipitur*, sed dicit TOTUM ID, quæ duo, meâ quidem sententiâ, in præsenti quæstione magnopere differunt. Si scripsisset *omne id*, suspicari quis posset eum quodam modo *innuisse* quod volunt

(1) D. Thomæ Aquinatis, quæstiones duodecim quodlibetales. Leguntur in edit. oper. omn. Tom. VIII. edit. Antverp. a. 1612.

(2) Loc. cit. artic. XV.

adversarii; quum vero dicat *totum id*, jam nihil amplius superest adversariis, unde suam causam tueantur.

Imo vero tantum abest ut iis patrocinetur sanctus Doctor, ut verius eis diserte contradicat. Id constat ex suo responso ad objectionem ibi propositam. Objectum erat hoc : *Videtur quod in eisdem verbis Sacræ Scripturæ non lateant plures sensus, quia dictionibus semel sumptis non est utendum æquivoce vel multipliciter; sed pluralitas sensuum facit multiplicem locutionem; ergo in eâdem locutione Sacræ Scripturæ non possunt plures sensus latere.* Ad hæc quid sanctus Thomas? *Dicendum*, inquit, *quod Sacra Scriptura ad hoc divinitus est ordinata, ut per eam nobis veritas manifestetur necessaria ad salutem : manifestatio autem vel expressio alicujus veritatis potest fieri de aliquo rebus et verbis; in quantum scilicet verba significant res, et una res potest esse figura alterius. Auctor autem rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam res potest disponere in figuram alterius; et secundum hoc in Sacrâ Scripturâ manifestatur veritas dupliciter : uno modo, secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit sensus litteralis; alio modo, secundum quod res sunt figuræ aliarum rerum, et in hoc consistit sensus spiritualis; et sic Sacræ Scripturæ plures sensus competunt. Ad objectum ergo dicendum, quod varietas sensuum, quorum unus ab alio non procedit, facit multiplicitatem locutionis; sed sensus spiritualis semper fundatur super litteralem et procedit ex eo; unde ex hoc, quod Sacra Scriptura exponitur litteraliter et spiritualiter, non est in ipsâ aliqua multiplicitas* (1). — Ex quibus sic argumentari licet : Damnat Thomas sensuum multitudinem, ubi sensus unus ab altero non ita procedat, ut sensus prior expressus sit verbis, sensus alter vero rebus per ea verba significatis. Atqui istiusmodi multiplex sensus ille est, quem adversarii defendunt. Ergo. Atque hæc dicta sufficiant de primo loco ex Thomæ scriptis nobis objecto. Pergo ad alterum.

(1) Loc. cit. art. XIV.

β) *In 2 Sent. Dist. 12. art. 2. ad 7.*

Lego ibi hæc verba : *Ad septimum dicendum, quod auctoritati Scripturæ in nullo derogatur, dum diversimode exponitur, salvâ tamen fide, quia majori veritate eam Spiritus Sanctus fœcundavit, quam aliquis homo adinvenire possit.*

Equidem minime perspicio quânam tandem interpretandi arte adversarii nostri efficere possint, ut hæc Thomæ verba dicenda sint ipsorum causam juvare. Si dixisset : *Scripturam Spiritus Sanctus fœcundavit* PLURIBUS VERITATIBUS *quam aliquis homo adinvenire possit*, si hoc, inquam, dixisset, benevolis videri posset dixisse aliquid quod pro ipsis faciat; quum vero dicat MAJORI VERITATE, ego plane non video quid inde exsculpi possit quod ipsis patrocinetur. Imo vero nego et pernego sermonem ibi esse de multiplici sensu litterali quem Spiritus S. exprimere voluerit. Quod si quæras quid ergo sibi velit sanctus Doctor per illud *majori veritate fœcundavit*, respondebo id non satis liquere, et, meâ quidem sententiâ, Thomam obscurius hic esse locutum; sed hoc perspicue patet, nihil ibi ab eo dictum esse quod adversariis nostris faveat. Juvat id paucis probare.

Agitur in eo articulo de quæstione hâc, utrum nempe omnia sint creata simul, an vero sex dierum spatio. Defenditur autem omnia creata esse simul. Sed objicitur ita : *Augustinus dicit, quod major est Scripturæ auctoritas quæ habetur in principio Genesis, quam omnis humani ingenii perspicacitas* (1); *sed ibi scriptum est, per senarium dierum creaturas distinctas esse, ergo videtur quod ita necessarium sit ponere.*

Respondet Thomas, Sanctos Patres circa præsentem quæstionem ex diversâ Scripturæ interpretatione diversa tradidisse. *Augustinus enim vult*, ait, *in ipso creationis principio quasdam res per species suas distinctas fuisse in naturâ propriâ, ut elementa, corpora cœlestia et substantias spirituales; alias vero in rationibus seminalibus tantum, ut animalia, plantas et*

(1) Leguntur hæc Augustini verba Lib. 2. de Genesi ad litteram. Cap. 5. *Quoquo modo*, inquit, *et qualeslibet aquæ super cœlum sint, esse eas ibi minime dubitemus : major est quippe Scripturæ hujus auctoritas* (Gen. 1. v. 7), *quam omnis humani ingenii capacitas.*

homines, quæ omnia postmodum in naturis propriis producta sunt in illo opere, quo est senarium illorum dierum... Ambrosius vero et alii sancti ponunt ordinem temporis in distinctione rerum servatum, et hæc quidem positio est communior, et magis consona videtur litteræ, quantum ad superficiem; sed prior est rationabilior et magis ab irrisione infidelium Sacram Scripturam defendens, et hæc opinio plus mihi placet. Profecto, aut vehementer ego fallor, aut abunde satis ex his patet, Thomam minime credidisse utramque hanc de rerum creatione sententiam censeri posse iisdem Sacræ Scripturæ verbis esse expressam. Quid enim? si altera accipitur, altera necessario excludenda est, quum sibi invicem opponantur. Censet ergo sanctus Doctor Scripturam, quâ parte tradit historiam creationis, uno atque altero modo *posse* exponi, quum incertum sit quo potissimum modo exponi *debeat*; atque hoc Thomas sibi velle videtur quum ad propositam sibi objectionem (v. supra) porro dicit : *auctoritati Scripturæ in nullo derogatur, dum diversimode exponitur, salvâ tamen fide* (1), *quia majori veritate eam Spiritus Sanctus fœcundavit, quam aliquis homo adinvenire possit.* Arbitror per postrema illa verba, *quia majori*, etc., hoc sibi voluisse Thomam, scilicet litteralem sensum nonnumquam profundius latere quam vulgo putetur; itaque non semper eum esse sensum alicujus scripturæ litteralem, quem litteræ veluti superficies primum statim legenti obtulerit.

γ) *De Potentiâ q. 4. a. 1.*

Agitur in eo articulo quæstio hæc : *utrum creatio materiæ informis præcesserit duratione creationem rerum?* Refert autem S. Thomas ab interpretibus Sacræ Scripturæ ex verbis Geneseos : *Terra autem erat inanis et vacua*, informitatem, ut loquitur, materiæ dupliciter fuisse intellectam : *quidam namque intellexerunt prædictis verbis talem informitatem materiæ significari, secundum quam materia intelligitur absque omni*

(1) Vetat ne umquam talis sit interpretatio, ut id, quod ex Scripturæ verbis intelligatur, doctrinæ fidei aliquo modo contradicat. Cf. de Potentiâ q. 4. art. 1. *Respondeo dicendum.*

formâ, in potentiâ tamen existens ad omnes formas. Alii vero intellexerunt informitatem materiæ, non secundum quod materia omni formâ caret, sed secundum quod dicitur aliquid informe, quod nondum habet ultimum suæ naturæ complementum et decorem. Neutrum a virtute fidei discordat, et utrumque sensum circumstantia litteræ patitur. Atqui duo hæc : *esse absque omni formâ,* ET *non carere omni formâ* simul stare non possunt; quod ergo dicit Thomas : *Utrumque sensum circumstantia litteræ patitur,* falso accipitur in eam sententiam, quasi putasset utrumque sensum iisdem illis Sacræ Scripturæ verbis ab ejus auctore esse subjectum; sed hoc tantum sibi vult, scilicet alterutram interpretationem eorum verborum probari posse, aut verius, neutri interpretationi verba Scripturæ obstare.

Sed forsan dicent adversarii se urgere non tàm illud Thomæ dictum, quam potius id quod ab eo docetur paulo ante in corpore ejusdem articuli. Hoc ergo quam vim habeat ad probandum Thomam nobis esse contrarium, diligenter dispiciamus. Integrum locum hic exscribamus necesse est, quum alias difficulter intelligerentur tum quæ nobis opponuntur, tum quæ nos ad objecta sumus responsuri.

Agitur de interpretatione verborum Genesis : *Terra autem erat inanis et vacua,* quæriturque quonam modo *materiæ informitas*, ut Thomas loquitur, ibi sit intelligenda.

Dicendum, inquit, *quod, sicut dicit Aug. Lib.* 12 *Confessionum, circa hanc quæstionem potest esse duplex disceptatio : una de ipsarum rerum veritate; alia de sensu litteræ, quâ Moyses divinitus inspiratus principium mundi nobis exponit.*

Circa primam disceptationem duo sunt vitanda, quorum unum est, ne in hâc quæstione aliquid falsum asseratur, præcipue quod veritati fidei contradicat; aliud est, ne quidquid verum aliquis esse crediderit, statim velit asserere ad veritatem fidei pertinere.

Circa secundam disceptationem duo etiam sunt vitanda : quorum primum est, ne aliquis id, quod patet esse falsum, dicat in verbis Scripturæ, quæ creationem rerum docet, debere intelligi; aliud est, ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, ut alii sensus, qui in se veritatem continent et possint, salvâ circumstantiâ litteræ, Scripturæ aptari, penitus excludantur.» Hactenus S. Thomas.

Quid respondendum adversariis hæc nobis objicientibus? nam quod dicit Thomas, si cui Scripturæ loco, salvâ circumstantiâ litteræ, plures subjici possint sensus, non ad unum sensum Scripturam tum esse cogendam ita ut alii sensus excludantur, hoc, inquam, videtur reapse favere adversariis.

R. P. Patritius (1) primo quidem innuit non certo constare, an de pluribus sensibus *litteralibus* Thomas loqui voluerit. *Mittam*, inquit, *quod sensus isti a Thomâ eo loco litterales non dicantur.* Sed, meâ quidem sententiâ, omnino suadet contexta Thomæ oratio ut de hoc minime dubitemus.

Dicit porro Patritius : *Ego vero nego*, inquit, *Thomam eo loco adserere sensum multiplicem simulque literalem, qui certo subsit Scripturis Sacris*; *sed* (aio eum) *solum vetare, ne verba in unum sensum accipienda esse adeo contendamus, ut alios, qui probabiles sunt, respui velimus, idque quum nullus horum sensuum certus omnino sit atque indubius.* Vellem et ego eodem modo respondere adversariis. Sed prævideo objecturos, gratis a nobis asseri Thomam loqui de pluribus sensibus litteralibus, quorum nullus omnino certus sit atque indubius. Ac reverâ, quæ eo loco porro dicit Thomas, ipsis omnino videntur favere. *Ne aliquis*, inquit, *ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, ut alii sensus, qui in se veritatem continent, et possunt, salvâ circumstantiâ litteræ, Scripturæ aptari, penitus excludantur : hoc enim ad dignitatem divinæ Scripturæ pertinet, ut sub unâ litterâ multos sensus contineat, ut sic et in diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divinâ Scripturâ posse invenire veritatem, quam mente conceperit; et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex Sacrâ Scripturâ velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium ejus sensum possit haberi recursus. Unde non est incredibile Moysi et aliis Sacræ Scripturæ auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quæ homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, et ea sub unâ serie litteræ designarent; ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde, si etiam aliqua vera ab expositoribus Sacræ*

(1) Superiora duo Thomæ loca, quæ in hâc quæstione objiciuntur, R. P. Patritius non attigit.

Scripturæ litteræ aptentur, quæ auctor non intelligit (intellexit), *non est dubium quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinæ Scripturæ. Unde omnis veritas, quæ salvâ litteræ circumstantiâ potest divinæ Scripturæ aptari, est ejus sensus.* Ita S. Thomas.

Quæ quidem talia sunt, ut non ausim cum Patritio affirmare, ibi plane nihil esse dictum quod adversariis nostris faveat. A quibus tamen hæc peto : 1° si, quod ipsi volunt, Thomas ibi doceat Scripturam *sub unâ litterâ multos continere sensus litterales*, cur eam doctrinam in præsenti loco tradit? nam nec datâ operâ de Scripturæ interpretatione ibi dicere instituit, nec propositæ quæstionis solutio postulabat ut de litterali sensu multiplici loqueretur; quas enim deinde dat verborum Geneseos interpretationes duas, eæ tales sunt ut alterutra tantum probari possit, quum se invicem excludant, ut supra demonstravimus. Quod certe facit pro iis qui dicunt Thomam non agere de multiplici sensu litterali qui litteræ ex voluntate Spiritûs Sancti reverâ insit, sed tantum de pluribus unius ejusdemque loci interpretationibus, quarum, *si eas circumstantia litteræ patiatur*, nulla sit respuenda, nisi certo constet quæ sit unice vera.

2° Cur dicit Thomas, alios sensus si *in se veritatem continent, et possunt salvâ circumstantiâ litteræ Scripturæ aptari*, non PENITUS esse excludendos? Nam si reapse putavit, quod adversarii dicunt, omnem sensum, qui in se veritatem contineat et possit salvâ litteræ circumstantiâ divinæ Scripturæ aptari, eo ipso jam esse Scripturæ sensum, si hoc, inquam, Thomas putavit, cur dicit ex pluribus sensibus litteralibus præter unum comprobandum cæteros non PENITUS esse excludendos? nam ex sententiâ, quam ei tribuunt adversarii, cæteri illi sensus litterales NULLO MODO erant excludendi. Si vero ponamus Thomam loqui de pluribus alicujus loci sensibus litteralibus, quos omnes circumstantia litteræ plus minusve patiatur quia certo argumento nequit probari quem eorum auctor exprimere voluerit, si ita, inquam, Thomam explicemus, tum perspicue intelligimus eum rectissime monuisse, Scripturam non ita ad unum sensum esse cogendam, ut PENITUS excludantur alii sensus, qui in se veritatem contineant, et possint, salvâ circumstantiâ litteræ, Scripturæ aptari.

Ad duo hæc, ut dixi, vellem adversarii mihi responderent.

Porro et alia mihi hic nascitur difficultas, quæ Rev. P. Patritio solvenda est. Si, ut ipse sentit, Thomas hic tantum vetat, ne contendamus verba in unum sensum accipienda esse ita ut sensus alios, qui probabiles sint, omnino respuamus quia variorum illorum sensuum nullus omnino certus sit atque indubius, si hoc, inquam, eo loco tantum sibi velit Sanctus Doctor, cur ergo ibi dicit, *fieri potuisse ut Moysi et aliis Sacræ Scripturæ auctoribus hoc divinitus fuerit concessum, ut diversa vera, quæ homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, eaque sub unâ serie litteræ designarent, ut sic quilibet eorum* (*sensuum*) *sit sensus auctoris?* Nam si tantum agit de *variâ* alicujus Scripturæ loci *interpretatione*, quem in finem ibi dicit, *non esse incredibile* sacros auctores per eadem verba simul plures sensus litterales exprimere voluisse?

Sed de hoc satis. Equidem non diffitebor me in totâ hâc pericopâ perspicuitatem styli Thomæ desiderare. Obscuritatem pariunt ea quæ leguntur inde a verbis : *hoc enim ad dignitatem Scripturæ pertinet* usque ad finem istius loci. Hæc si a textu abesse jusseris, omnia sunt perspicua, et clarissimis verbis docet Thomas, sicubi plures occurrunt sensus litterales quorum nullus indubie sit sensus auctoris, non esse tum Scripturam ad unum sensum ita cogendam, ut alii seusus penitus excludantur. Quare aliquando suspicatus sum fieri potuisse ut hic aliquod glossema in Thomæ orationem irrepserit; suspicionem augebant tum illud ter repetitum *unde*, tum etiam quædam sententiarum incohærentia, quam in eo loco mihi videbar deprehendisse; ad hæc notabam, etsi ea quæ in illâ pericopâ dicuntur Augustini opinionem exprimant (1), hunc tamen ibi non nominari, quod contra Thomæ morem esse puto.

Quidquid sit, ex integro hoc, de quo disputavimus, Thomæ oco, illud tantum effici potest, nempe Thomam, quo tempore hæc scribebat, Augustini mentem secutum, in eâ fuisse sententiâ, ut putaret *non esse incredibile* uni eidemque Sacræ Scripturæ loco plures interdum subjectos esse sensus litterales. Sed jam transeamus ad id quod quarto loco nobis ex Thoma objicitur.

(1) Cff. quæ ex Augustino recitavimus supra, pag. 43, 44 et 45.

δ) Ex Summæ 1. p. quæst. 1. art. 10.

Operæ pretium est etiam hic integrum transcribere locum ex quo objectio petitur. Titulus ergo decimi illius articuli hic est : *utrum Sacra Scriptura sub unâ litterâ habeat plures sensus.* Sic autem Thomas ibi disputat :

Videtur quod Sacra Scriptura sub unâ litterâ non habeat plures sensus, qui sunt historicus vel litteralis, allegoricus, tropologicus sive moralis, et anagogicus ; multiplicitas enim sensuum in unâ scripturâ parit confusionem et deceptionem, et tollit arguendi firmitatem ; unde ex multiplicibus propositionibus non procedit argumentatio, sed secundum hoc aliquæ fallaciæ assignantur. Sacra autem Scriptura debet esse efficax ad ostendendam veritatem absque omni fallaciâ. Ergo non debent in eâ sub unâ litterâ plures sensus tradi.

Sed contra est quod dicit Gregorius (*Lib.* 20 *Moralium*) : *Sacra Scriptura omnes scientias ipso loquutionis suæ more transcendit, quia uno eodemque sermone dum narrat gestum, prodit mysterium.*

Respondeo dicendum, quod auctor Sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsæ res significatæ per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, quâ voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel litteralis ; illa vero significatio, quâ res significatæ per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur et eum supponit.

Hic autem sensus spiritualis trifariam dividitur. Sicut enim dicit Apostolus ad Hebr. 7, lex vetus figura est novæ legis ; et ipsa nova lex, ut dicit Dionysius in Eccl. Hierarch., est figura futuræ gloriæ. In novâ etiam lege ea, quæ in capite sunt gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus. Secundum ergo quod ea quæ sunt veteris legis significant ea quæ sunt novæ legis, est sensus allegoricus ; secundum vero quod ea quæ in Christo sunt facta, vel in his, quæ Christum significant, sunt signa eorum quæ nos agere debemus, est sensus moralis ; prout vero

significant ea, quæ sunt in æternâ gloriâ, est sensus anagogicus. Quia vero sensus litteralis est, quem auctor intendit; auctor autem Sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Aug. (*Lib.* 12 *Confession.*), *si, etiam secundum litteralem sensum, in unâ litterâ Scripturæ plures sint sensus.*

Ergo (*ad objectionem*) *dicendum, quod multiplicitas horum sensuum non facit æquivocationem, aut aliam speciem multiplicitatis; quia, sicut jam dictum est, sensus isti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet, sed quia ipsæ res significatæ per voces aliarum rerum possunt esse signa. Et ita etiam nulla confusio sequitur in Sacrâ Scripturâ, cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet litteralem.* Hactenus S. Thomas.

Quæ si quis attente perlegerit, manifesto ipsi constabit sermonem ibi non esse de eo Scripturæ sensu multiplici, de quo in præsenti dissertatione agimus. Nuspiam ibi docet Thomas unius ejusdemque Sacræ Scripturæ loci plures subinde agnoscendos esse sensus litterales; sed hoc docet, scilicet sub unâ eâdemque litterâ Scripturæ, præter sensum litteralem, passim latere etiam sensum spiritualem, puta allegoricum, tropologicum aut anagogicum. Nimirum de hoc tantum disputatio instituta erat, uti patet ex ipsâ inscriptione Articuli, quæ est : *utrum Sacra Scriptura sub unâ litterâ habeat plures sensus;* quod quomodo intelligendum sit statim explicatur in objectione, ubi dicitur : *videtur quod Sacra Scriptura sub unâ litterâ non habeat plures sensus*, QUI SUNT HISTORICUS VEL LITTERALIS, ALLEGORICUS, TROPOLOGICUS, ET ANAGOGICUS. Idem etiam luculenter constat tum ex iis quæ dicuntur in *corpore* articuli, tum ex argumento *sed contra*, ubi S. Gregorium citat, cujus verba non de multiplici sensu litterali, sed de sensu litterali et spirituali in unâ eâdemque Scripturæ litterâ contentis manifesto sunt intelligenda.

Imo si quis affirmare velit Thomam in eo Articulo docuisse multiplicem sensum litteralem passim in Scripturis esse agnoscendum, nescio quâ ratione probaturus sit Thomam in eodem illo Articulo non sibimet contradixisse. Nam quum in responso ad objectionem neget ex eâ sensuum multitudine quam defen-

dit nasci in Scripturis æquivocationem, quam æquivocationem adesse fatetur quando una vox plura significat, si dixeris Thomam ibi docere multiplicem sensum litteralem illum qui adest ubi voces plura simul significant, consequetur eum in eodem illo Articulo affirmare et negare æquivocationem in Scripturis. Hoc vero quis de tanto viro credat?

Sed hæc, utut recte mihi videantur disputata, diffiteri tamen non possum reapse difficultatem habere quod ibi dicit Thomas : *Quia vero sensus litteralis est, quem auctor intendit, auctor autem Sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Aug. Lib. XII Confessionum, si*, ETIAM *secundum sensum litteralem, in unâ litterâ Scripturæ plures sint sensus.* Atqui hæc Thomæ verba adversarii nostri potissimum urgent. Quid ergo respondendum? Patritius respondet, Thomam in eâ parte ARTICULI vocabulo *litteralis* aliam tribuisse significationem quam in reliquâ parte; itaque putat Thomam, ubi dicit : *quia vero sensus litteralis est quem auctor intendit*, ibi per sensum litteralem, utrumque simul intellexisse sensum, et eum quem supra *litteralem* sive *historicum* dixerat, et *spiritualem.*

Sed præstat Patritium ipsum audire loquentem. *Facile deprehendimus*, inquit, *Thomam ea* (scilicet verba : *non est inconveniens*, et cætera) *protulisse non tam de suâ quam de Augustini sententiâ, atque ejus auctoritate veluti compulsum; protulit enim extremo sermone, nec nisi obiter, et quin sive prius, sive post, sive inter ea quæ initio opponit, quæve in fine reponit, vel unum verbum diceret de illâ opinione. Vides etiam, quam aliter ac fecerit Augustinus eam enuntiet; non enim ait sensum litteralem Scripturarum esse multiplicem, sed* NON ESSE INCONVENIENS, *si sit talis* (1). *Ut autem opinio ista probabilis*

(1) Ego vero minime perspicio Augustinum aliter de re locutum esse quam Thomam. Scilicet R. P Patritius falso opinatus est, Augustinum *reapse agnovisse* multiplicem in Sacris Scripturis sensum litteralem; Thomam vero putat tantummodo dixisse *non esse inconveniens* si litteralis sensus Scripturæ sit multiplex. Atqui hoc ipsum est quod dixit Augustinus (Vid. supra p. 44). Ergo Thomas non aliter de re locutus est quam Augustinus. Obiter hic noto locum Augustini, quem Thomas respicit, dum ait : *non est inconveniens, ut dicit Augustinus* etc., non legi Lib. XII

fiat, nomen litteralem *in alium sensum accipit Thomas, quam in toto illo capite, aliamque ejus sensûs definitionem facit ac fecerat anteà. Quum enim prius dixisset litteralem significationem eam esse* QUA VOCES SIGNIFICANT RES, *postea, ut opinionis illius ratio aliqua appareret, sic eamdem hanc significationem definivit : sensus litteralis est quem auctor* INTENDIT. *Jam vero secundum priorem definitionem re non aliam, ut patet ex integrâ Thomæ ratiocinatione, illâ* (1), *quam fecimus* (2), *sensus litteralis is est, qualem descripsimus, distinctum a spiritali, quem etiam Thomas continuo definit, re ipsâ sicut nos definivimus. At secundum definitionem posteriorem, quod etiam Salmeron noster animadverterat* (3), *spiritalis sensus a litterali non distingueretur, sed et ille habendus et vocandus esset litteralis ex eâ parte, quatenus etiam sensum spiritalem* AUCTOR (SPIRITUS SANCTUS) INTENDIT, *ideoque ex alterâ hâc definitione nomen* litteralis *significationem habet diversam ab illâ, quam habet in toto* ARTICULO. *Hæc tamen definitionis notionisque mutatio necessaria, inquam, erat, ut illius opinionis ratio aliqua appareret* (4).

Hæc Patritius; quæ, ut mihi quidem videtur, minus perspicue dicta sunt. Cæterum, quantum ea capio, vereor ut ejus responsio adversariis satisfaciat. Nam quum dicat Thomas : *si* ETIAM *secundum sensum litteralem sint plures sensus*, illud *etiam* dubitare non sinit quin S. Doctor vocabulo *litteralis* eo loco eamdem subjiciat significationem quam eidem subjecit in reliquo articulo. Neque enim dicere pòtuit ETIAM *secundum litteralem sensum plures esse sensus*, quin eo ipso sensum *spiritualem* hic distingueret a *litterali*; quod si hoc, profecto dici nequit Thomam per sensum litteralem, simul intellexisse ibi utrumque sensum, et *litteralem* sive *historicum*, et *spiritualem*.

Confessionum, ut ex antiquo errore perpetuo citatur, sed Lib. I. de Genesi ad litteram, cap. XIX.

(1) Puto Patritium dicere voluisse: *re non diversam ab illâ quam fecimus.*

(2) Patritius sensum litteralem definivit ita : *sensum litteralem Scripturarum*, inquit, *vocamus id, quod exprimere Spiritus Sanctus directe intendit ac proxime, et verba directe præferunt, atque etiam proxime, si propria ea sint, remote autem, si sint translata, idque in quantum translata sunt.* Cit. op. pag. 1.

(3) Proleg. XIX. p. 339.

(4) Cit. op. p. 25-26.

Si quo modo probari posset verba: *quia vero sensus*, et quæ ibi sequuntur, non Thomæ verba, sed alterius glossema esse, hanc difficultatis solutionem equidem libentissime amplecterer. Hoc vero quum dici non posse videatur, arbitror negandum quidem esse, quod adversarii affirmant, Thomam litteralem sensum multiplicem ibi *docuisse*, hoc tamen puto ipsis esse concedendum, scilicet verba quæ nobis opponunt hunc habere intellectum ut significent, putare in Scripturâ adesse plures sensus litterales NON ESSE QUID INCONVENIENS, hoc est, ut supra (p. 44) dictionem illam interpretatus sum, id in suo conceptu nihil involvere quod obstet quominus id potuisset fieri, si ita Spiritui Sancto placuisset. Hoc ergo ea verba notare concedendum puto adversariis, adeoque per ea non quidem doceri multiplicem passim in Scripturis unius ejusdemque loci *adesse* sensum litteralem, sed affirmari *fieri posse* ut sit. Ex quo tamen etiam hoc efficeretur, scilicet *fieri posse* ut Scriptura passim ambigue loquatur, quod quomodo cum Thomæ doctrinâ concilient, videant adversarii. Docet enim S. Thomas (vid. supra p. 124) *æquivocationem esse*, *quando sensus multiplicantur propter hoc quod una vox multa significet;* idemque negat Scripturam alicubi esse æquivocam (ibid.).

Operæ pretium erit hic animadvertisse, a patronis multiplicis sensûs litteralis ne unum quidem proferri potuisse Sacræ Scripturæ locum, quem in duplicem sententiam ad litteram accipiendum esse Thomas docuerit, qui tamen magnam sacrorum librorum partem interpretando explanavit. *Et vero Thomas*, ut docet Estius, *nusquam in commentariis, quos multos edidit, uni Scripturæ loco plures assignat sensus litterales; quod utique fecisset alicubi*, ait idem, *si fixa fuisset ei sententia sub unâ litterâ plures subinde sensus occultari* (1).

(1) Quo lucidius constet de mente S. Thomæ, conferenda sunt quæ scripsit *Summæ* 1. *p.* q. 1. *art.* X, cum iis quæ docuit *Quodlib.* VII. q. 6. (vid. supra p. 115), quum duo hæc loca mutuo sibi commentarii vicem suppleant.

(2) Orat. Theolog. XIX.

EPILOGUS.

Quod facere constitueramus, perfecimus; argumenta quæ ad causam suam tuendam adversarii afferunt, nullo quod ad rem esset neglecto, recensuimus, fideliter exposuimus, et ex ordine singula quid ponderis haberent libravimus, diligenterque perpendimus; sine ullo partium studio disputavimus, utpote veri inveniendi ducti amore, non abrepti iniquâ vincendi cupiditate.

Nostræ autem disputationis summa hæc est : ex multis, quæ afferuntur, argumentis ad probandam sententiam, quam impugnavimus, ne unum quidem esse, quo tamquam firmo quodam fundamento nitatur.

Et vero, si sermo sit de argumento ducto ex SS. Patrum doctrinâ, quam nihil erant ad rem quæ ex eorum scriptis proferebantur loca! Videbantur quidem, ut erant prolata, a reliquo, inquam, sermone disjuncta, aliquam præ se ferre speciem probationis, sed contextæ orationis luce admotâ, et illa etiam species plane evanescebat. Ex tot Sanctis Patribus, quos ut suæ sententiæ patronos adversarii nobis opposuerunt, unus Augustinus *tantum non negabat* FIERI POSSE ut alicubi Spiritus Sanctus verbis suis litteralem sensum multiplicem subjecerit; Sanctus Leo autem an quædam Isaiæ verba in multiplicem eum sensum accepisset, non liquebat;

cæteri vero, qui citabantur, Patres sancti, de re omnino non agebant; ut adeo plane futile sit patrocinium quod isti causæ quærebatur ex sanctorum Patrum doctrinâ.

Nec magis eam causam juvabant varia illa e Sacris Scripturis petita loca, quæ totidem essent rei probandæ exempla. Nam horum accuratiori interpretatione institutâ, ne unum quidem inveniebamus, qui in duas pluresve litterales sententias esset accipiendus.

Quod vero attinet ad argumentum ductum ex auctoritate Lateranensis Concilii, illud nullam ad probandum vim habere, firmis, opinor, ostendebamus rationibus.

Tandem, expositâ Theologorum medii ævi circa litteralem Scripturæ sensum doctrinâ, demonstrabamus Scholasticos adversariis nostris aut minime favere, aut etiam penitus ipsis esse contrarios; ipsumque adeo Bonaventuram, quem causæ suæ patronum laudant, frustra advocari, planum faciebamus; Thomam vero, quem quadruplici effato causam suam communire gloriabantur, in duobus prioribus de re ne loqui quidem probabamus; ex tertio vero et quarto concludebamus, eum Augustini mentem secutum tantum negare (quod etiam Burgensis fecit) *incredibile* quid aut *inconveniens* poni ab eo, qui existimet litteralium in Sacrâ Scripturâ interdum adesse sensuum multitudinem; quod tamen Thomæ effatum non poteramus conciliare cum alio ejusdem effato, quo docet agnoscendam quidem esse in Scripturis sensuum multitudinem, sed non aliam quam quâ sensus unus expressus sit verbis, alter vero rebus per ea verba significatis; nam hæc Thomæ doctrina multiplicem reprobat sensum litteralem.

Itaque conficitur, *multiplicem in Sacris Scripturis sensum litteralem ab Ecclesiâ non doceri, nullo Scripturæ exemplo probari, ignotum esse Sanctis Patribus, a Theologis scholasticis refelli, nec aliud denique, qualecumque tandem, habere fundamentum quam effatum quoddam Augustini, quo is tamen nequaquam* CERTO AFFIRMAT *uni eidemque Scripturæ plures interdum subjectos esse sensus litterales, sed tantum significat* SE OPINARI ID FIERI POSSE; *quam opinionem cum Burgensi sequitur alicubi in suis scriptis S. Thomas, licet hic alibi eidem opinioni aperte contradicat.*

Quæ quum ita esse mihi videantur, non acerbius quid dixero contra sententiam quam oppugnandam suscepi, si ex disputatis concludo, NON ESSE ULLO SAT FIRMO ARGUMENTO HACTENUS PROBATUM, UNIUS EJUSDEMQUE S. SCRIPTURÆ LOCI LITTERALES SENSUS PLURES QUAM UNUM ALICUBI ESSE AGNOSCENDOS.

EXPLICIT DISSERTATIO THEOLOGICA.

APPENDIX.

GUILIELMI ESTII

S. TH. DOCT. ET PROF. ET CANCELLARII DUACENSIS ORATIO THEOLOGICA DECIMA NONA.

An ejusdem Scripturæ plures sint sensus litterales?

Scripturæ Sacræ et Canonicæ præ omnibus aliis scriptis quorumcumque authorum, Auditores Ornatissimi, eam esse prærogativam, ut sub unâ literâ plures sensus complectatur, historicum videlicet, sive literalem, ac quosdam mysticos, indubitatum est et esse debet, apud omnes Theologos. Cæterum in quæstione apud eos versatur, *An ejusdem alicujus scripturæ duo aut plures sint sensus literales*, aliis, et quidem multis, affirmantibus, aliis vero negantibus. Et quoniam hujus quæstionis tractatio non parum conducit ad promovenda eorum studia, qui veros atque germanos Scripturarum sensus investigant, facientes illud quod præcipit Dominus, *Scrutamini Scripturas*, idcirco rem omnibus sacrarum literarum studiosis et amatoribus gratam facturus mihi videor, si productis in medium atque expensis utriusque partis argumentis, ostendero (quantum Deus author Scripturæ Sacræ inspiraverit) utra potius sententia prævalere debeat. Nam et eo magis id faciendum mihi putavi, quod hanc quæstionem, a nemine veterum Theologorum ex proposito tractatam, ne recentiores quidem accuratius examinasse videntur.

Certe qui partem tenent affirmantem, fere contenti sunt authoritate Sanctorum Augustini et Thomæ Aquinatis, persuasum habentes hanc illorum esse sententiam, unum eumdemque Scripturæ locum plures interdum habere sensus literales; et, siquidem ita senserint illi Doctores, cum iis omnino sentiendum esse.

Ex Augustino potissimum adferunt ea, quæ scribit, *lib.* 12. *Confess.* ubi de Moyse libri Geneseos scriptore disserens deque verbis illis, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, post multa sic ait : « Ita cum alius dixerit, hoc sensit quod ego, » et alius imo illud quod ego, religiosius me arbitror dicere : » cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si » quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud » verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia » vidisse credatur, per quem unus Deus sacras literas, vera » ac diversa visuris multorum sensibus temperavit? » Et paulo post : « Sensit ille omnino in his verbis, atque cogi- » tavit cum ea scriberet, quicquid hic veri potuimus inve- » nire, et quicquid nos non potuimus, aut nondum possu- » mus, et tamen in eis inveniri potest. » Hæc ibi.

Ad quem locum sine dubio respexit sanctus Thomas, quando *parte* 1. *suæ summæ Theologicæ q.* 1. *ar.* 10. scripsit in hunc modum : « Quia vero sensus literalis est, quem » author intendit, author autem Sacræ Scripturæ Deus est, » qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est in- » conveniens, ut dicit Augustinus lib. 12. Confess., si, etiam » secundum literalem sensum, in unâ literâ Scripturæ plures » sint sensus. »

Adferunt et illud ex ejusdem Augustini *lib.* 3. *de Doctrinâ Christianâ*, *cap.* 27. « Nam quid in divinis eloquiis largius et » uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba » pluribus intelligantur modis? » Ubi significat Augustinus ad ubertatem ac fœcunditatem, adeoque ad dignitatem Scripturæ Sacræ pertinere, quod in iisdem verbis plures sensus cogitentur ac lateant; tanquam ea sit ratio, cur negari non debeat ejusdem Scripturæ plures inveniri sensus literales, quod eminens Scripturæ Sacræ dignitas id postulet, ut sub iisdem verbis plurium sensuum, etiam literalium, sit fœcunda.

Quam eamdem rationem urget etiam S. Thomas *q.* 4. *de potentiâ. art.* 1., licet illic expresse non nominet sensum literalem. Alteram vero ejusdem Doctoris rationem ex ejus *Summâ* jam audivimus : « Quoniam, inquit, author Sacræ Scripturæ » Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit,

» ideo potest in iisdem Scripturæ verbis plures sensus, etiam » literales, intendere. »

Ut autem ea res amplius declaretur, loca non pauca proferuntur e Scripturis, in quibus multiplex sensus literalis necessario videatur agnoscendus.

Primus locus est initium illud Geneseos : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Cujus Scripturæ quinque sensus, non solum ut a Deo primario authore, verum etiam a Moyse scriptore, visos et intentos adfert Augustinus *cap.* 20. *lib.* 12. *Confess.*; ac *sequenti capite* totidem sensus assignat verbis illis proxime sequentibus : *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi.*

Alius locus est Psal. 2 : *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quod tripliciter ad literam exponi solet : de generatione Christi æternâ, de temporali, et de ejus resurrectione, quæ *regeneratio* vocatur.

Rursum alius locus Psal. 8 : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos*(1). Quod æque tripliciter

(1) Ex patronis multiplicis sensûs litteralis pauci sunt, qui adducunt hæc VIII Psalmi verba tamquam exemplum quo probetur sententia quam defendunt. Idem dicito de duobus Sacræ Scripturæ locis quæ porro ab Estio recitantur. Tria illa loca ex numero sunt eorum, quæ, ut supra (pag. 23) monuimus, non putavimus esse recensenda aut discutienda, quum ne speciem quidem argumenti præbeant ad defendendam causam quam impugnandam suscepimus. Scilicet verba Ps. VIII. v. 3. dicta esse *de Israelitis post transitum maris rubri laudem Deo canentibus*, aut *de Apostolis Evangelium Christi prædicantibus*, id non nisi mera quorumdam assertio est, quæ nullo prorsus argumento nititur; quo vero modo eadem verba (coll. Matth. XXI. 16) accipi possint de pueris Hebræorum Christo acclamantibus, nihil opus est hic disputare.

Porro, locus Exodi XII : *os non confringetis ex eo*, non secundum sensum litteralem sed secundum typicum a S. Joanne de Christo accipitur (cff. quæ scripsimus supra pag. 4 et 11).

Tandem quod attinet ad locum Danielis (cap. 9, v. 27.), quum contexta oratio doceat id, quod ibi de templo Jerosolymitano prædicitur, esse eventum suum habiturum post *hebdomadas sexaginta tres* a Jerosolymâ reædificatâ et post *occisum Christum* (v. 26.), vel ex eo patet non scite illud referri ad Antiochum, qui templum Jerosolymitanum profanaverat plus quam duobus sæculis antequam illud a Vespasiano fuit diru-

exponitur : de filiis Israël post transitum maris rubri laudem Deo canentibus; de pueris Hebræorum Christo acclamantibus; et de Apostolis Evangelium Christi prædicantibus.

Quartus locus apud Danièlem (*cap.* 9.) : *Erit in templo abominatio desolationis.* Nam et illud exponunt tribus modis : de desolatione templi factâ sub Antiocho; de alterâ factâ a Romanis; et de tertiâ quam facturus est Antichristus.

Quintus locus (*Exodi* 12.) : *Os non confringetis ex eo.* Quod de Agno Paschali typico dictum sensu literali, Joannes nihilominus ad literam de Christo interpretatur (*cap.* 19.).

Adferunt et illum locum ejusdem Evangelistæ, (*cap.* 11.) *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat.* In quibus verbis alium sensum cogitavit Caïphas, qui erat Pontifex anni illius; alium intendit Spiritus Sanctus loquens in Caïphâ. Sed locus ille non premit. Nam facile respondetur illos duos sensus non unius fuisse authoris, sed alterum Caïphæ, alterum Spiritûs Sancti; nec utrumque sacrum, sed Caiphæ profanum; et quatenus ab eo profecta sunt illa verba, non vera et sacra, sed falsa et sacrilega fuisse, spectantia ad inferendam necem Christo Domino.

Hæc igitur sunt, nec multo plura, quæ pro sensuum literalium in eâdem Scripturâ pluralitate solent adferri.

Quæ quidem tanti sunt ponderis apud virum doctissimum Dominicum Bannesium, ut in *Commentario super S. Thomam,* temeritatis insimulet eos, qui negant in sacris literis esse locum aliquem, qui in sensu literali dupliciter possit intelligi. Quanquam idem author paulo post sententiam mitigat adjiciens hæc verba : « Si cui videbitur acerbior hæc nostra » censura quam oporteat; ego sane, salvâ fide ac doctrinæ » sanitate, censendi rigorem de sententiâ Theologorum facile » remittam. » Sic ille.

Nam quod ibidem refert de Abulensi, qui dicit certum esse secundum fidem, quædam loca Scripturæ in duplici sensu

tum. Cæterum non quæremus quonam tandem modo Antichristus profanaturus sit aut diruturus Jerosolymitanum templum *jam dirutum*, quum hoc explicare fortasse nesciant ii, qui illud Antichristi facinus futurum didicerunt ex verbis Danielis, intellectis, scilicet, secundum sensum litteralem; nam de sensu litterali in præsenti quæstione agitur. B.

literali esse intelligenda, merito rejicit tanquam inscienter ab illo dictum, qui putaverit (1) omnem sensum a Spiritu sancto intentum esse literalem. Constat enim ac certo tenendum est, præter sensum literalem, multos esse in Scripturis Sacris sensus mysticos.

Sed jam ea proferamus argumenta, quæ negantem quæstionis nostræ partem adstruere videntur. Sunt autem rationes non contemnendæ. Quarum hæc sit prima : dicere quod plures sint ejusdem Scripturæ sensus literales, tale est ac si quis diceret vocem æquivocam simul stare pro pluribus suis significatis (nam literalis sensus est, qui per voces immediate significatur); illud autem pro absurdo habent Dialectici.

Ad hanc rationem non aliter respondere potuit Bannesius, quam concedendo æquivocationem in sacris literis, et negando absurditatem. « Neque enim, inquit, negandum est, » æquivocationem esse, si una oratio plura nobis significet » per modum plurium : non tamen hujusmodi æquivocatio » confusionem parit in sacris literis; quia secundum utrum- » que sensum poterit fieri argumentum theologicum. » Hæc quidem ille, sed præter sententiam multorum, ut ipse fatetur, qui verentur concedere æquivocationem in Scripturâ sacrâ; imo (quod ille non admittit) contra sententiam S. Thomæ, qui æquivocationem a Sacris literis ubique solicite ac simpliciter excludit. Tametsi non negamus, id quod Bannesius dicit, positis duobus sensibus ejusdem Scripturæ, posse ex eâ secundum utrumque sensum bona duci argumenta.

Accedat et altera ratio : sensus literalis est ut fundamentum; igitur unum in unâquâque Scripturâ esse oportet et non plures; mysticis tamen sensibus, qui plures esse possunt, substratum; quomodo in ædificio fundamentum, cum sit unum, cæteris ejusdem ædificii partibus substernitur. Hinc illud ab omnibus receptum, sensus mysticos in aliquo sensu literali fundatos esse debere.

Addamus et tertiam rationem : omnes sensus ejusdem scripturæ coordinati esse debent; atqui non erunt omnes

(1) Fortasse legendum est : *quum putaverit*. Cff. quæ de Tostato, Abulensi Episcopo, disputavimus supra pag. 109 sqq. B.

coordinati, si plures sint ejusdem scripturæ sensus literales. Nam hujusmodi sensus, neque ordinem inter se habebunt, neque ad sensum aliquem diversum. Non quidem inter se; quia nullus eorum alio prior est; sunt enim omnes æque primo intenti. Sed nec ad alium sensum; quia non fundantur in alio, cum ipsi sint primi. Secus est de sensibus ejusdem Scripturæ mysticis, qui licet inter se fortassis ordinem non habeant, habent tamen ad literalem, in quo fundantur.

Postrema ratio sit ea, quæ sumitur a communi sensu seu conceptione, quam vocant, interpretum Scripturæ Sacræ. Videntur enim omnes eo animo accedere ad interpretandas et exponendas secundum literam Scripturas, ut unum aliquem sensum, verum, germanum, ab authore intentum, in unoquoque loco Scripturæ quærant, inveniant, tradant, ad unum colliment; et ubi diversi a diversis authoribus sensus traduntur, inquirit lector studiosus quis eorum germanum sensum authoris attigerit; nempe persuasus eum sensum unum esse, non plures.

Equidem nullum interpretem legi, qui exponens locum aliquem Scripturæ Sacræ, et plures ac diversos, ut fit, sensus adferens, diceret : uterque sensus literalis est, ac primo intentus a Spiritu Sancto; dumtaxat excepto recenti quodam authore, alioqui docto, apud quem id semel tantum reperi, ut cum in dijudicando literali sensu cujusdam scripturæ laboraret, tandem diceret utrumque literalem esse.

Huic postremæ rationi valde consonant quæ apud Augustinum variis in locis leguntur; ubi docet eum qui Scripturas Sacras explanat, hoc conari debere, ut ad Authoris sententiam perveniat, videatque quid senserit Dei minister in scribendo; tanquam illud quod sensit, unum sit. Loca sunt *lib. 3. de Doctrinâ Christianâ cap. 27. Lib. 11. de Civitate Dei cap. 19. et lib. 12. Confess. cap. 18. 24. 25. et 30.*

Ejusdem Augustini hæc verba sunt *lib. 1. de Genesi ad literam, cap. ultimo :* « Cum, inquit, divinos libros legimus, in » tantâ multitudine verorum intellectuum, qui de paucis ver- » bis eruuntur, et sanitate Catholicæ fidei muniuntur, id » potissimum eligamus, quod certum appareat eum sensisse » quem legimus. Si autem hoc latet, id certe quod circum-

» stantia Scripturæ non impedit, et cum sanâ fide concordat.
» Si autem et Scripturæ circumstantia pertractari ac discuti
» non potest, saltem id solum quod fides sana præscribit.
» Aliud est enim, quid potissimum scriptor senserit non
» dignoscere, aliud autem a regulâ pietatis errare. Si utrum-
» que vitetur, perfecte se habet fructus legentis; si vero
» utrumque vitari non potest, etiamsi voluntas scriptoris
» incerta sit, sanæ fidei congruam non inutile est eruisse
» sententiam.» Hæc Augustinus.

Qui rursus in *Enarratione Psalmi* 93 et 94, cum pervenisset ad hemistichium : *Quia non repellet Dominus plebem suam*; « hic nobis, inquit, interpretari aliquid non licet. Præscrip-
» tum habemus ab Apostolo. Exposuit hoc Apostolus unde
» sit dictum etc. » Atqui liceret etiam aliter interpretari, si plures essent ejusdem Scripturæ sensus literales. Nam de literali sensu loquitur Augustinus, non de mystico; juxta quem non dubitavit Scripturas etiam aliter, quam Apostolus intellexerit, exponi posse.

Habet autem etiam hoc piorum interpretum sensus communis, ut si eis persuasum sit, vel Christum, vel Apostolum allegasse Scripturam aliquam juxta sensum literalem, vel Ecclesiam in Concilio definite sensum aliquem Scripturæ decrevisse, (uti factum in Concilio Milevitano, Tridentino, et aliis), piaculum arbitrentur ejusdem Scripturæ sensum alium literalem adferre aut quærere velle.

Sane vir doctissimus et in Scripturarum expositione nobilis, Adamus Sasboldus, hanc sententiam de unitate sensûs literalis, asserere non dubitat. Nam in *Præfatione suorum Commentariorum super Isaïam*, de sensibus Scripturarum disserens, quum sensum literalem definivisset, quem Author Scripturæ Spiritus Sanctus primo per voces, seu proprie, seu figurate acceptas, significare voluit; mysticum vero, quem ex rebus corporaliter gestis aut gerendis per voces significatis ulterius intendit; mox ex illis duabus descriptionibus tria colligit documenta seu canones interpretandi Scripturas ; quorum primus, sensum literalem esse fundamentum ac basim sensûs mystici ; secundus vero, quando de rebus divinis seu cælestibus sermo est, unum tantum esse Scripturæ sensum litera-

lem, etsi plerumque per tropos, metaphoras, ænigmata significatum.

Nec dissentit Franciscus Ribera, duodecim Prophetarnm diligentissimus Interpres. Qui exponens illud Oseæ cap. 11 : *Ex Ægypto vocavi filium meum*, late ostendit illius Scripturæ et aliarum, quas ibidem adducit, non sensum literalem esse de Christo, sed mysticum; idque contra eos, qui contendunt utrumque sensum esse literalem. Atque eo spectat ejus disputatatio, ut doceat ejusdem scripturæ non nisi unum esse sensum literalem. Quibus similia repetit idem author *in Commentario Epistolæ ad Hebræos cap.* 1. (1)

Quod si igitur hæc sententia placeat, ad quam, propter argumenta quæ jam audivimus, etiam me propensiorem fateor, videndum quid ad ea quæ in contrarium allata sunt, responderi possit.

Ut ERGO primum de B. Augustino respondeamus (a quo velut authore manasse videtur ad multos opinio de pluralitate sensuum literalium), nusquam ille Doctor affirmat unam aliquam scripturam duos aut plures habere sensus literales; quamvis ex ejus scriptis id plerique colligant, ac elici dicant. Quod si quis ejus verba *ex lib.* 12. *Confession.* initio a nobis recitata pressius adversum nos urgeat, atque contendat eum loqui de sensu literali; quum ratio non sit cur inter multos sensus, de quibus illic agit, alius præ aliis literalis ac aliorum respectu fundamentalis dici debeat; videat ille, quæso, quæ absurditas inde sequatur. Nam consequens erit omnes veros sensus, qui studiosi piique lectoris animo occurrere possunt, non solum a Moyse vel alio Sacro Scriptore visos et intentos fuisse (quod Augustinus dicere videtur, etsi non admodum probabiliter) verum etiam omnes esse sensus literales; quod puto nemo concesserit. Neque enim Deus voluit omnem veritatem esse sensum, ne quidem mysticum, omnium verborum in quibus illa veritas intelligi possit. Nam et hoc quid aliud esset, quam Scripturas Sacras multitudine sensuum literalium onerare potius, quam titulo fœcunditatis honorare? Absit igitur ut hoc Augustinum sensisse dicamus, imo non eum hoc

(1) Cff. quæ de Riberâ scripsimus supra pag. 8 sq. B.

sensisse clare liquet ex illis ejusdem verbis, quæ in diversum attulimus; quibus addo quæ scribit *cap.* 30 memorati *lib.* 12 *Confess.* de principio Geneseos disserens : « Moysen, inquit, » cum hæc scriberet, hoc attendisse credamus, quod in eis » maxime et luce veritatis et fruge utilitatis excellit. » Non igitur sensit Augustinus, omnia quæ vera in verbis Moysis quisque contemplatus fuerit, a Moyse pro sensu literali intenta fuisse.

Sed et alia loca ejusdem libri, velut *cap.* 18, 24, 25 et 31, si quis attente legat, intelliget Augustinum de sensibus Scripturæ loqui generali modo, ut non mysticus modo, verum et accommodatius sensus, quem vocant, comprehendatur.

Jam ad S. Thomam quod attinet, multum quidem ille verbis ac sententiæ Beati Augustini inhæret *in* illâ *quæstione de potentiâ*, etsi nec ibi clare affirmet de sensu literali se loqui : sed postquam ad *Summam Theologicam* pervenit, in quo opere exactior est, cunctanter et remisse loquitur, nihil affirmans, sed tantum dicens, quod non sit inconveniens, si etiam secundum literalem sensum in unâ literâ Scripturæ plures sint sensus; nec id simpliciter, sed cum addito, « *ut dicit Augustinus* » *lib.* 12. *Confess.*, nimirum persuasus hoc Augustinum dicere, et significans ob ejus authoritatem se nolle reluctari. Id enim est quod dicit *non esse inconveniens*; hoc est, non ita rejiciendum, quin Deus posset, si vellet, in unâ litterâ Scripturæ plures sensus literales constituere. Quod si faceret, quoniam a Deo fieret, haudquaquam esset inconveniens.

His adde, quod S. Thomas nusquam in Commentariis Scripturæ, quos multos edidit, uni Scripturæ loco plures assignat sensus literales; quod utique fecisset alicubi, si fixa fuisset ei sententia sub unâ literâ plures subinde sensus occultari. Quin et in *Summâ*, *loco prædicto*, cum sibi objecisset, ex multiplici sensu Scripturæ nasci confusionem, ideoque in Scripturis non esse admittendum sensum multiplicem, respondet, « Sensus illos (de quibus loquitur, id est literalem et » mysticum) non multiplicari propter hoc quod una vox » multa significet; sed quia res ipsæ significatæ per voces, » possunt aliarum rerum esse signa. Et sic etiam, inquit,

» nulla confusio sequitur in Sacrâ Scripturâ, cum omnes sen-
» sus fundentur super unum, scilicet literalem. » In quibus verbis duo notanda sunt; unum, quod aperte dicit omnes sensus ejusdem Scripturæ a literali diversos (de his enim loquitur) fundari super uno sensu qui est literalis; etiam rationem insinuans cur unus esse debeat, quia super eo reliqui sensus fundantur; fundamentum autem unum esse oportet.

Alterum, quod excludit multiplicitatem sensuum in eo consistentem, quod una vox sive oratio multa significet. Hoc autem manifeste contingit, ubi ejusdem scripturæ ponuntur plures sensus literales.

Illa vero ejus ratio in contrarium superius allata : Deus est Author Scripturæ Sacræ, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, ergo plures ejusdem scripturæ sensus sunt literales; si valere debet, ex eâ consequens erit, omnes sensus Scripturarum esse literales; quia nimirum Deus omnes illos, quotquot sunt, simul suo intellectu comprehendit. Itaque dicendum est, Deum quidem simul omnia suo intellectu comprehendere, velle tamen, ut sicut inter res alias a se comprehensas ordinem statuit, ita et inter varios et veros Scripturæ sensus a se comprehensos hic sit ordo, ut unus sit primus et quasi fundamentalis; quem proinde primo, id est, proxime et immediate intendisse dicitur; alii vero super eo superstruantur, ideoque posteriores sint, eâque ratione posterius ac mediate intenti.

Ad loca Scripturarum, quæ pro exemplis allegata sunt tanquam multiplicem sensum literalem habentia, non aliud respondeo, quam quod a nobis breviter ac facile et vere responderi potest : ex sensibus, qui plures ad eas scripturas adferuntur, unum solum literalem esse, reliquos in mysticorum sensuum numero habendos. Id vero per singula declarare, non est hujus loci.

Certe ipse Dominicus Bannesius, cujus alioqui censura durior erat adversus assertores nostræ sententiæ, ac nominatim adversus venerabilem Adamum, cum perpauca aliquot loca Scripturæ pro se adduxisset, ingenue fatetur sibi nullum alium locum occurrere in sensu literali proprio multipliciter explicandum; imo et ea omnia quæ adduxit, uti loquitur, solutionem habere.

Sed hæc de eâ quæstione satis. Quod sensimus diximus, suum cuique judicium liberum et salvum permittentes, et magis adhuc discere parati, quam docere.

Habita est Anno 1612, *die* 27 *Septembris.*

FINIS.

INDEX.

CORRIGENDA.

—

Errata.	Corrige.
Pag. 4. a fine *duas*	*duos*
Pag. 48. *subjiceret*	*subjecerit*
Pag. 90. § 3.	§ 4.
Pag. 96. § 4.	§ 5.
Pag. 112. *pependitur*	*perpenditur.*